Wipprecht. Quaestiones Palaephateae capita VI.

QVAESTIONES PALAEPHATEAE

CAPITA VI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN VNIVERSITATE LITTERARVM HEIDELBERGENSI
OBTINENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS WIPPRECHT

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.
MDCCCLXXXXII

QVAESTIONES PALAEPHATEAE

CAPITA VI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN VNIVERSITATE LITTERARVM HEIDELBERGENSI
OBTINENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS WIPPRECHT

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.
MDCCCLXXXXII

QVAESTIONES PALAEPHATEAE

CAPITA VI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN VNIVERSITATE LITTERARVM HEIDELBERGENSI
OBTINENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS WIPPRECHT

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.
MDCCCLXXXXII

QVAESTIONES PALAEPHATEAE

CAPITA VI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN VNIVERSITATE LITTERARVM HEIDELBERGENSI
OBTINENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS WIPPRECHT

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.
MDCCCLXXXXII

QVAESTIONES PALAEPHATEAE

CAPITA VI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN VNIVERSITATE LITTERARVM HEIDELBERGENSI
OBTINENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS WIPPRECHT

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.
MDCCCLXXXXII

PARENTIBVS CARISSIMIS!

Rerum, quae tractantur, conspectus.

Palaephati cuiusdam nomine inscriptus circumfertur libellus περὶ ἀπίστων (quam veram esse inscriptionem infra demonstrabitur), quem a Graecis posteriorum temporum et a medii aevi hominibus summo cum studio lectitatum esse et testimoniis inde a tertio p. Chr. saeculo admodum crebris et codicum satis magna copia probatur. Nec minus opusculum illud post renata antiquitatis studia virorum doctorum animos in se convertit. Cum vero inde ab initio saeculi XVI. usque ad finem XVIII. saepissime libellus esset editus — unus Jo. Frid. Fischer sex curavit editiones —, nostro saeculo semel tantum typis exscriptus est in Westermanni Mythographis Brunsvigae 1843. Singulas editiones enumerare opus non esse videtur, cum et a Westermanno (l. c. in praef. pg. XII) et accuratissime ab Ecksteinio in libro, qui inscribitur: Ersch und Gruber Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste III. Sect. 9 und 10 Theil s. v. Palaephatus (pg. 340. 41) recenseantur. Maximi praeter Westermanni editionem momenti Fischeri sexta editio est (Lipsiae 1789), ubi omnium priorum editionum diligenter ratio habetur.

Ad textum constituendum Westermanni apparatus criticus satis exiguus, de quo infra fusius mihi disputandum erit, vix idoneum praebet subsidium. Quae praeterea adhibuerim subsidia, suis locis afferam.

Priusquam ad ipsas, quas tractandas mihi proposui, quaestiones transeam, de ipso libello pauca dicam. Opusculi scriptor praemissa praefatione, quo consilio libellum scripserit, indicat. Demonstrare vult omnes res incredibiles a poetis aliisque scriptoribus narratas re vera plane aliter accidisse ac narrarentur. Hoc diversis rationibus efficere studet. Aut simpliciter ea, quae de animalibus traduntur, ad homines referenda esse dicit, (velut

taurum illum, qui Europam rapuisse fertur, re vera fuisse Taurum iuvenem, vulpem illam, quae Thebanis magnum damnum intulisse dicitur, fuisse latronem, cui nomen esset Ἀλώπηξ,) aut fabulam aliquam ex hominum dicto non satis intellecto esse ortam; nam Actaeonem, ut exemplo utar, non a canibus suis devoratum esse, sed ipsum totam rem familiarem canibus alendis consumpsisse, homines autem dixisse: miserum Actaeonem, quem ipsius canes comederint. Saepe historia ampla, quomodo re vera res acciderint, circumscribere studet. Fabulam, quae narratur de Hydra Lernaea ab Hercule occisa, ita explicat: Hydra fuit Lerni cuiusdam regis castellum, quod quinquaginta sagittariorum praesidio — haec erant quinquaginta hydrae capita — defendebatur ab Hercule. Quibus ex militibus quotiens unus ceciderat, alii duo in locum eius succedebant. Haec sufficiant ad Palaephati ingenium illustrandum. Singula interpretationum genera distinguere conatus est Festa (Intorno all' opuscolo di Palefato de incredibilibus Firenze-Roma 1890 pg. 3—9).

Similis est Palaephati libellus Euhemeri notissimo et famosissimo operi. Ut Euhemerus auctoritatis suae augendae causa sese Panchaeam in insulam profectum ex vetere inscriptione omnia cognosse simulat, ita Palaephatus, quo maior fides habeatur verbis suis, sub finem praefationis (pg. 269. 4. West.) dicit se magna itinera suscepisse ad rerum veritatem explorandam, id quod omnes eiusmodi librorum auctores affirmare solent. Hoc maximum inter Euhemeri et Palaephati opera intercedit discrimen, quod ille quantum videmus, de deorum natura et origine agat, hic deorum rationem vix habeat, ut quid omnino de deis iudicaverit Palaephatus, perspicuum non sit. Fortasse de eis nihil a communi opinione alienum sensit.

Fabulis historice vel pragmatice interpretandis iam antiquissimos rerum gestarum scriptores operam dedisse satis notum est (cfr. Lobeck. Aglaoph. pg. 987 sqq.). Sed cum omnes illi oblata occasione hic illic fabulam aliquam explicare conarentur, Euhemerus et Palaephatus data opera fabularum magnam multitudinem ad veritatis speciem reducere studuerunt.

Euhemerum initio tertii a. Chr. saeculi floruisse nemo nescit, sed de libri Palaephatei et auctore et temporibus adeo inter se dissenserunt et dissentiunt viri docti, ut plus septem saeculorum spatio temporum rationes adhuc prolatae inter se differant. Quod qui factum sit, quantisque in difficultatibus versemur in

Palaephati aetate definienda, ut appareat, pauca ex eis, de quibus disputandum mihi erit, ad totam causam exponendam et illustrandam praemittere mihi liceat. Viri docti ad sententias tam longe distantes his potissimum causis perducti sunt: primum quod ex ipso libello de auctoris aetate nihil comperire possumus, nisi eum post Melissum et Lamiscum quendam scripsisse;

tum quod quattuor Palaephati afferuntur in Suidae lexico: Atheniensis, qui fuit ante Homeri aetatem; Parius vel Prienensis, Artaxerxis aequalis; Abydenus, qui Aristotelis amasius fuisse dicitur; Aegyptius vel Atheniensis incertae aetatis grammaticus. Suidas, si recte eius verba intelleguntur, et Atheniensi illi antiquo et Pario et grammatico Aegyptio librum περὶ ἀπίστων inscriptum tributum esse testatur.

Sed antequam, quae ipse censeam de libri Palaephatei aetate et auctore, fusius explicem, singulas virorum doctorum sententias undique collectas perlustrare mihi liceat; quarum unamquamque singillatim refutare non habeo in animo; nam hoc si vellem, disputationis ordinem passim interrumpere cogerer et via rationeque progredi vix possem. Itaque satis habeo sententias diversas afferre, quas omnes nimis infirmis vel potius nullis argumentis nisas ipsis eis, quas allaturus sum, rationibus collapsuras esse spero.

Fabricius (Bibl. Graec. I. pg. 184 sqq. ed. Harles.) Palaephatum nostri libelli auctorem inter antiquissimos scriptores recenset; haec enim dicit (pg. 186. IV): „in quamcunque partem autem nos vertamus, de auctore et tempore nihil certi reperiemus ...... Quisquis tamen est περὶ ἀπίστων scriptor, vetustissimus est.“ De Atheniensi illo Palaephato antiquissimo ob id ipsum nemo cogitare poterit sano ingenio praeditus, quod ne ipse quidem libelli auctor se antiquissimis temporibus vixisse et scripsisse fingit — id quod finxerunt Dictys Cretensis, Dares Phrygius aliique eiusdem farinae homines —, sed nominatim affert auctores, quorum sententiam probet: Melissum et Lamiscum (pg. 268. 11. West.).

Fuerunt igitur, qui ad Parium illum vel Prienensem, Artaxerxis aequalem, cuius quinque ἀπίστων libros Suidas commemorat, descenderent. Iam vero nova oritur difficultas, cum, quinam Artaxerxes intellegendus sit, Suidas non dicat. Cogitaverunt de Palaephato Pario Phil. Phasianinus (in versione latina, quae prodiit Argentorati 1517. fol. XXX recto), Caelius

Rhodiginus (Lect. antiquae Lugduni 1560. l. XXX. cap. 34. tom. III. pg. 706), Gyraldus (Dialog. 2., quod opus mihi praesto non fuit), Kusterus (ad Suidam s. v. Παλαίφατος Πάριος). Eadem est sententia Simsonis (Chron. cathol. Oxon. 1652 part. IV. pg. 57 ad ann. 409), qui Palaephatum Parium Thucydidis aequalem fuisse putat.

Cui sententiae cum libelli indoles ingeniumque repugnare videretur, alii Artaxerxis secundi (405—358) aetati Palaephatum illum tribuendum esse censuerunt, velut Lambecius (Prodrom. hist. litterar. Francof. et Lips. 1710 curante Jo. Alb. Fabricio pg. 216) et Boeclerus (de script. graecis et latinis pg. 20, quem librum inspicere non potui).

Nec vero defuerunt, qui Artaxerxem tertium (358—338) a Suida significatum esse putarent. Saxius (Onomast. literar. I. pg. 88. Trai. ad Rhen. 1775) opinatur Palaephatum circa annum 320 (eisdem atque Euhemerum temporibus) floruisse causis non additis. Quae sententia Christio quoque (apud Iw. Müllerum in „Handbuch der klass. Altertumswissenschaft“ VII^2 pg. 475) haud improbabilis esse videtur. Euhemeri antecessorem potius quam aequalem fuisse Palaephatum contendit Festa (l. c. pg. 34 sqq.), qui novissime quaestiones Palaephateas fusius tractavit, Gutschmidii coniecturis (apud Flachium Hesychii Miles. onomatol. quae supersunt Lipsiae 1883) nisus.

Primus de grammatico illo Aegyptio sive Atheniensi cogitasse videtur Ger. Joa. Vossius, qui in libro de historicis Graecis III. pg. 183 sq. (ed. Westermann) haec dicit: „sic igitur statuo, si Palaephatus, quem habemus, est unus ex illis Suidae memoratis, esse illum incertae aetatis Aegyptium sive Atheniensem, quem et ipsum περὶ ἀπίστων tractasse ibidem dicitur. Tantum metuo, ne Suidas nobis duos confundat Palaephatos, quorum unus fuit Aegyptius, alter Atheniensis, unus grammaticus, alter philosophus.“ Ita Vossius praeter quattuor Palaephatos a Suida commemoratos quintum etiam sibi fingit, cui libellum de incredibilibus tribuendum esse censet, et quem philosophum peripateticum fuisse ex Theonis testimonio (progymn. c. VI. pg. 221. 13 Walz. 96. 5. Sp,) efficit. Boettiger (Ideen zur Kunstmythologie Dresden-Leipzig 1826. I. pg. 187) hanc protulit sententiam: „Was wir unter diesem Namen noch besitzen, sind höchstwahrscheinlich Bruchstücke eines Alexandrinischen Grammatikers mit späteren Zusätzen verbrämt und zu-

sammengeflickt". Fröhner in Philol. Suppl. V. pg. 35. 1889 dicit: „Bilder von Schlachten und Kriegsschiffen passen sehr gut in die Zeit des Palaiphatos, der unter den Diadochen gelebt haben muss. Susemihl (Geschichte der griech. Litt. in der Alexandrinerzeit II. pg. 54 sqq. Lipsiae 1892) hoc tantum pro certo dici posse putat Palaephatum post Augusti aetatem non scripsisse.

Unus Jo. Frid. Fischer (in praef. edit. tertiae, pg. IV. editionis Lipsiens. 1789), qua via ad sententiam paulo certiorem perduci possemus, sensisse videtur. Sic dicit: „auctor enim huius libelli sive Aegyptius ille fuerit sive Atheniensis, philosophus et grammaticus, etsi non plane constat, quo potissimum saeculo vixerit, tamen vel oratio, qua usus est homo, satis loqui videtur aetatem eius in tempora Ptolemaeorum incidisse. Certe stylo Palaephati tanta intercedere nobis quidem videtur cum stylo Eratosthenis aliorumque eiusdem aetatis atque generis scriptorum similitudo, ut nec ab usu Alexandrinorum verborum abstinuisse reperiatur." Sententiam suam ut probet, affert verba βασίλισσα et ὑπαντιάζειν, sed βασίλισσα (pg. 296. 14) in optimis codicibus non legitur, ὑπαντιάζειν (pg. 300. 17) praeter Homerum, Pindarum, tragicos etiam apud Xenophontem reperitur. Itaque verba a Fischero allata argumenti vim non habent neque, si haberent, per se sola ad certum iudicium ferendum sufficerent.

Nonnulli contenderunt libelli de incredibilibus inscripti auctorem Palaephati nomen sibi arrogasse ad operis sui auctoritatem augendam, velut Jos. Scaliger (Catal. Virg. Lugd. Bat. 1617, pg. 51 ad Ciris v. 88, ubi Palaephati nomen coniectura repositum est), qui putat Palaephati cuiusdam „μυθολογικά", quae adhuc exstant, omnino ad Palaephatum in Ciri nominatum referenda non esse; item Hugo Grotius (Epist. ad Gallos CX. pg. 254. 55 Lugd. Bat. 1648); Heyne (P. Virg. Maron. opp. V³ pg. 133. ad Cir. v. 88) dicit: „apparere videtur nos verum Palaephatum non habere et esse alterius auctoris libellum περὶ ἀπίστων, qui a nobis teritur". Sed concedit fieri potuisse, ut Ciris poeta auctores permutaret, cum apud Heraclitum, qui ipse quoque de incredibilibus scripsit (Westermann Mythogr. pg. 313—320), ea fabulae forma reperiatur, quae in Ciris versu Palaephato tribui videtur.

Sententiam a ceteris admodum abhorrentem protulit Eckstein (l. c.), qui contendit Palaephatum libelli περὶ ἀπίστων inscripti auctorem non ante tertii p. Chr. saeculi finem vel quarti

initium vixisse, quod antea certa eius mentio non fieret. Sed ut omittam alia eius argumenta, hoc mea quidem sententia pro certo dici potest Theonem progymnasmatum auctorem ante illud tempus vixisse. Probi, qui dicitur, commentarium Vergilianum, ubi (ad georg. III. 113. pg. 60. Keil.) satis aperte Palaephati nostri fabula laudatur, Eckstein nondum novisse videtur.

Quae cum ita sint, non nisi ex ipso libro auctoris aetatem enucleari posse concedendum est. Ad certum finem non prius pervenire poterimus, quam examinatis singulis vocabulis locutionibusque et collatis cum aliorum scriptorum sermone inquisiverimus, num forte apud Palaephatum vocabula reperiantur, quae inde a certo demum tempore a scriptoribus Graecis usurpata sunt.

Caput I.

Libellum περὶ ἀπίστων inscriptum non genuina forma ad nos pervenisse nemo adhuc non concessisse videtur praeter Schefferum (ad Theon. l. l. cfr. Walzii edit.). Qualis exstat liber in editionibus, e partibus admodum diversis compositus est. Omnino eicienda esse capp. 47—51. vel inde apparet, quod fabularum incredibilium interpretationes non continent, sed simplices narrationes (διηγήματα), quae utrum verae sint necne, non decernitur. Huc accedit, quod in paucis tantum codicibus leguntur. A corpusculo Palaephateo praeterea alienae sunt fabulae 52. et 53, quas Tollius ex chronico paschali addidit, et fabula quinta, quae in omnibus Palaephati codicibus deest, a Palaephati more narrandi plane abhorret, a scholiasta ad Iliad. XVIII. 486. Euphorioni tribuitur (ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι), Quomodo in Palaephati corpusculum irrepserit nescio.

Ne inscriptionem quidem libelli eandem omnes exhibent codices. Nonnulli ipso titulo solidum atque integrum non esse opusculum indicant: CO[c] (ex amplioribus codd. sec. Westerm.) habent: ἐκ τῶν τοῦ παλαιφάτου περὶ τῶν ἱστοριῶν; cod. Marc. Venet. 509 ἐκ τῶν παλαιφάτου περὶ ἱστοριῶν ἀρχαίων (brevioris classis sec. Festam pg. 11 adn. 3), VJ et Aldina παλαιφάτου περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν, R παλ. περὶ τῶν ἀπίστων ἱστοριῶν; DM. codd. praebent παλ. περὶ ἀπίστων, quam unice veram esse inscriptionem primus intellexit Fischer (pg. 3. edit. VI), nam

ipse opusculi auctor dicit se περὶ ἀπίστων scripsisse; praeterea ea forma legitur apud Theonem l. c. ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίστων ἐπιγραφόμενον.

Palaephati libellum servatum non esse integrum inde quoque concludi potest, quod ab aliis scriptoribus satis multa commemorantur ex Palaephati opere desumpta, quae in integro περὶ ἀπίστων libro exstitisse videntur, sed iam non exstant in eo, quem nos habemus libello. Priusquam vero ad hos locos examinandos transeam, quot fuisse libri operis Palaephatei videantur, inquiram.

Suidas s. v. Παλαίφατος Πάριος commemorat ἀπίστων βιβλία ε', s. v. Παλαίφατος Αἰγύπτιος affert μυθικῶν βιβλίον α', λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων, quas omnes inscriptiones ad unum idemque opus referendas esse iam pridem suspicati sunt viri docti. ἀπίστων βιβλία et λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων diversa non esse ex Theonis verbis apparere mihi videtur, qui de libro Palaephateo dicit: ἐν ᾧ τὰ τοιαῦτα ἐπιλύεται. λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων idem esse opus ac μυθικῶν βιβλίον α' vix quisquam negare poterit. Itaque Suidas idem opus modo ex quinque libris, modo ex uno libro constitisse testari videtur. Quod si cetera testimonia examinamus, Malalas, Tzetzes, Eustathius librorum numerum non commemorant; liber primus laudatur ab Eusebio (chron. 776. II. pg. 48. Schoene; 700. II. pg. 42, Hieron. 847. II. pg. 55), ab Orosio (I. 13. § 4). Probus in Verg. Georg. III. 113 (pg. 60. Keil) dicit: ut Palaephatus in libro ἀπίστων ait, Theo prog. VI. pg. 221. W.: καὶ Παλαιφάτῳ τῷ Περιπατητικῷ ἐστιν ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίστων ἐπιγραφόμενον. Fieri sane potest, ut et Probus, cum diceret „in libro", et Theo, cum diceret „ὅλον βιβλίον", de pluribus unius operis libris cogitaverit, sed videamus, quaenam Theonis loci sententia esse videatur. Theo cap. VI. exponit, quomodo narrationem aliquam fictam esse cognosci possit. Tum complures enumerat scriptores, qui unde fluxissent eiusmodi narrationes demonstraverint (Herodotum, Platonem, Ephorum nominat); postremo his scriptoribus, qui singulis tantum locis data occasione eiusmodi res attigerint, opponit Palaephatum, qui conscripserit ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίστων ἐπιγραφόμενον, ἐν ᾧ τὰ τοιαῦτα ἐπιλύεται· οἷον ὅτι Κένταυροι μὲν ὑπελήφθησαν οἱ πρῶτοι ἐφ' ἵππων ὀχούμενοι ὀφθέντες. Διομήδης δὲ Θρᾷξ εἰς ἱπποτροφίαν ἐξαναλωθεὶς ἐλέχθη ὑπὸ τῶν αὐτοῦ

ἵππων ἀπολωλέναι· κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν κυνῶν. ἡ δὲ Μήδεια βάπτουσα τὰς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τῶν ἀνθρώπων πολιὰς καὶ μελαίνας ποιοῦσα ἐφημίσθη τοὺς γέροντας εἰς λέβητας κατακόπτουσα νέους ποιεῖν καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις. Quae cum ita sint Theonem, si plures Palaephatei περὶ ἀπίστων operis libros novisset, ad vim sententiae suae augendam librorum numerum appositurum et dicturum fuisse puto Palaephatum non totum librum, sed quinque librorum opus de rebus incredibilibus conscripsisse. Itaque ex hoc loco concludi posse existimo Theoni unum tantum περὶ ἀπίστων librum notum fuisse. Quod si mihi concedetur, Probum quoque de uno libro loqui verisimile erit.

Restat nihilominus difficultas in Suidae, Eusebii, Orosii verbis. Sed quamquam ita, ut nulla remaneat dubitatio, non potest demonstrari unum fuisse Palaephati librum περὶ ἀπίστων inscriptum, tamen collato Theonis loco admodum verisimile esse videtur. Huc accedit, quod, si ne primus quidem liber integer servatus est, (nam, quae affert Hieronymus 847. II. pg. 55: „scribit Palaephatus in incredibilium libro primo Sirenas quoque fuisse meretrices, quae deciperent navigantes“, non exstant in opusculo servato), quid in reliquis quattuor libris narratum fuerit, vix potest intellegi. Dixerit fortasse quispiam Theonem epitomen tantum operis Palaephatei, nempe eam, quam nos habemus, novisse; sed profecto mirandum esset, si Theoni, quem accuratius in eiusmodi res inquisivisse apparet, epitome tantum nota esset, cum Eusebius et Orosius integrum opus manibus tenerent.

Iam videamus, quid iudicandum sit de locis Palaephateis ab aliis scriptoribus allatis, qui quidem ad opus de incredibilibus referendi esse videantur. Duae res diiudicandae sunt: primum num omnes loci ad Palaephati opus genuinum referendi sint, tum, num operis Palaephatei recensionem diversam ab ea, quam nos habemus, agnoscere debeamus. De eis locis, qui in libro servato eadem forma leguntur, non est, cur verba faciam, sed ei, qui iam non exstant in Palaephati opusculo, vel alia forma exstant, accuratius examinandi sunt.

Quantopere fabulae Palaephateae a posterioribus saepe mutatae ac depravatae sint, cognosci potest ex Tzetzae schol. ad Lycophr. v. 1206. (II. pg. 960. Müller.), ubi dicit: Παλαίφατος δὲ ὁ Στωικὸς ψυχρῶς μὲν ὅμως δὲ ἀλληγορικῶς ὀδόν-

τας ἔχειν ἐλεφάντων τὸν Κάδμον λέγει ἐλθόντα ἐκ Φοινίκης καὶ τούτους διασπείραντα συμμαχίαν λαχεῖν κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Mihi quidem Tzetzes, cum haec scriberet, Palaephati locum (cap. VI) non satis memoria tenuisse videtur. Item, quae dicit Eusebius (chron. 700 (H.) 710 (A.) II. pg. 42. 43) τοὺς δὲ πλησιοχώρους αἰφνιδίως ἐπελθόντας αὐτῷ διὰ τὸ πανταχόθεν ὡς ἀπὸ γῆς συρρεῖν κατ' αὐτὸν Σπάρτους ὠνόμασεν, ὡς Παλαίφατος ἐν πρώτῃ φησί, cum Palaephato non plane congruunt, quae differentia fortasse e Palaephati loco non satis intellecto vel neglegenter inspecto orta est.

Nonnus narrat. ad. Greg. invect. I. 65 (Westermann Mythogr. pg. 376. cap. XLIII) dicit: Κύκλωπες δὲ ἐλέγοντο, ὡς μὲν Ἡσίοδος, ὅτι ἕνα εἶχον κυκλοτερῆ ὀφθαλμὸν ἐν τῇ ὄψει, ὡς δὲ Παλαίφατος, ὅτι κυκλοτερῆ τινα νῆσον ᾤκουν. De Cyclopibus apud Palaephatum nihil reperimus, nec vero potest dubitari, quin Cyclopum nominis interpretatio a Nonno allata ex Palaephati integro opere desumpta sit, si conferimus Palaeph. acp. XX. XXV. XL, ubi eundem fere in modum τρικάρηνος et ἑκατογχεῖρες significationes urbium nominibus explicantur. Praeterea vocis μυριόφθαλμος significationem Palaephatum similiter interpretatum esse ex Eustathii verbis concludendum esse puto (in Odyss. IV. pg. 1504. 53 sqq. ed. Rom.): ἐνταῦθα δὲ προςθετέον εἰπεῖν, ὅτι καθάπερ ἐκεῖ τὸ τοῦ μύθου καχεκτοῦν εὗρέ τι θεράπευμα, οὕτω καὶ τὰ ἐκεῖσε παραπεπηγότα τέρατα τὸ πολυκέφαλον, τὸ *μυριόφθαλμον* καὶ τὸ τῶν ἑκατογχείρων ἔχουσι καὶ αὐτὰ τοὺς θεραπεύοντας· ὁποῖοί τινες ὁ Παλαίφατος, ὁ Ἡράκλειτος οὐχὶ ὁ σκοτεινός, ἀλλ' ἕτερός τις ὁ τοῖς ἀπίστοις προθέμενος ἐμφῆναι πίστιν.

Eustathius in Odyss. I. pg. 1382. 47 sqq., quomodo Palaephatus fabulam de muris Troianis a Neptuno et Apolline aedificatis interpretatus sit, his verbis refert: καὶ μῦθός τις ὕπεστι λέγων ὑπὸ Ἀπόλλωνος καὶ Ποσειδῶνος κτισθῆναι τὴν Ἴλιον. ὅθεν καὶ ἱερὸν πτολίεθρον Τροίης, ὡς θεόκτιστον λέγεται. θεραπεία δὲ τοῦ μύθου κατὰ Παλαίφατον, ὅτι κειμήλια Ποσειδῶνός τε καὶ Ἀπόλλωνος εἰς ἀνοικισμὸν τῆς Ἰλίου ὑπὸ Λαομέδοντος δεδαπάνητο. Quam fabulam apud Palaephatum non reperimus, sed apud Anonymum de incredibilibus cap. VI. (Westermann Mythogr. pg. 322); explicationem illam abhorrere a Palaephati interpretationibus nemo erit, qui contendat. Neque verisimile est Eustathium, quippe qui tot locos e Palaephato

haustos afferat, errasse; sed vix potest dubitari, quin Eustathius pleniorem Palaephati librum noverit. Cur igitur non concedamus eandem interpretationem et apud Anonymum et apud Palaephatum exstitisse (cfr. Palaeph. II. et Anon. VII. περὶ Πασιφάης)? Fieri potest, ut Anonymus ex Palaephato hauserit.

Alius vero Eustathii locus, quo ad Palaephatum provocat, cum servata interpretatione primo quidem adspectu coniungi non posse videtur, ita ut Festa (pg. 22) de duplici recensione cogitaverit. Locos apponam:

Palaeph. cap. IX.	Eustath. in Iliad. XXIV. pg. 1368. 8 sqq.
Νιόβης ἀποθανόντων τῶν παίδων ποιήσας τις εἰκόνα λιθίνην ἔστησεν ἐπὶ τῷ τύμβῳ τῶν παίδων. ἔλεγον οὖν οἱ παριόντες· Νιόβη λιθίνη ἕστηκεν ἐπὶ τῷ τύμβῳ καὶ ἡμεῖς ἐθεασάμεθα αὐτήν.	Παλαιφάτῳ δὲ δοκεῖ ἄγαλμα Νιόβης ἑστάναι ὕλης στερεᾶς, ὃ τῇ κάτωθεν ἕως καὶ εἰς ὀφθαλμοὺς συντρήσει διά τινων ἀνωγέων (!) ὕδωρ ἀναθλῖβον κατά τινα μηχανὴν διηθεῖ αὐτὸ διὰ τῶν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς πυκνῶν πόρων εἶτοῦν τρημάτων, ὡς δοκεῖν ἐκεῖθεν καταρρέειν δάκρυον.

Qua in fabulae conformatione nihil consentit, nisi Niobes statuam lapideam — nam ὕλης στερεᾶς idem significat ac λιθίνη — in liberorum sepulcro collocatam fuisse causam, cur Niobe in lapidem commutata esse diceretur. Sed hoc ipso consensu, cum summa sit rei mea quidem sententia, fabulae interpretationem eandem esse apud Palaephatum et Eustathium probatur. Quae artificia Eustathius praeterea affert inde a verbis ὃ τῇ κάτωθεν non ex Palaephati recensione a nostra plane diversa, sed item ex pleniore libro Palaephateo, unde servatum opus excerptum est, hausisse videtur.

Apud Hieron.-Euseb. chron. 847. II. pg. 55 mythi interpretationem Palaephateam habemus, quae non exstat in Palaephati libello, sed apud Heraclitum (cap. XIV. Westerm. pg. 315.), qui simillimum libri Palaephatei opusculum conscripsit et saepius cum Palaephato congruit (cf. Pal. I. et Her. V. περὶ Κενταύρων; Pal. II. et Her. VI περὶ Πασιφάης; Pal. XIV περὶ Ἀταλάντης καὶ Μελανίωνος et Her. XII περὶ Ἀταλάντης

τῆς Σχοινέως καὶ Ἱππομένους; Pal. XXXI et Her. XXIV περὶ Φρίξου καὶ Ἕλλης). Itaque non habemus, cur Hieronymo diffidamus. Hoc quoque fieri potuisse concedo, ut interpretationes Heracliteae sub Palaephati nomine circumferrentur, vel omnino eiusmodi fabularum interpretationes Palaephato tribuerentur. Sic ea quoque, quae in Ciris v. 87. exstat difficultas, explicari potest; nam carminis auctor vv. 77. sqq. Scyllam meretricem fuisse dicit, id quod „docta Palaephatia testatur voce papyrus", quae mythi interpretatio non apud Palaephatum, qui Scyllam piratarum navem fuisse dicit (c. XXI), sed apud Heraclitum (c. II) reperitur. Sed cum in illo versu gravissime corrupto Palaephati nomen coniectura tantum repositum sit, hunc locum omnino omittere praestat.

Restant Malalae complures loci, qui nonnullas difficultates praebent, cum fabularum interpretationes, quas sub Palaephati nomine affert Malalas, partim omnino non exstent in opusculo servato, partim admodum diversae a Palaephateis esse videantur. Malalas (pg. 82. v. 10 sqq. ed. Bonn.) tradit, quomodo Palaephatus fabulam de Leda et Iove narratam interpretatus sit. Cui Malalae loco re vera Palaephateam explicationem subesse, facile quivis sibi persuadebit; nam ut hic κύκνος ille, a quo Leda gravidata est, iuvenis aliquis fuisse dicitur, ita apud Palaephatum ταῦρος invenis nomen est, non animalis (c. II et XVI) et ἀλώπηξ praedonis Thebani (c. VIII).

Nec minus ea, quae de Semele eiusque filio leguntur apud Malal. (pg. 41. v. 4 sqq.) ad Palaephatum re vera referri posse puto (eandem interpretationem Anonymus c. XVI. pg. 325. 3 ex Charace affert). Idem valet de Malal. pg. 24. v. 2 sqq. (cfr. Westerm. Mythogr. pg. 311. 27. sqq.), ubi fabula de Martis cum Venere adulterio a Sole detecto explicatur. Quod Festa (pg. 26.) putat ea, quae Malalas tradat de Venere, Sole, Dionyso duobus locis supra allatis non posse consociari cum Palaephati libro, qui nulla eiusmodi „Euhemerismi" vestigia praebeat, ut deos, quasi homines sint, depingat, ei opponendum est neque Veneris neque Dionysi nomen (simpliciter enim verbis γυνὴ Αἰγυπτία et βρέφος significantur) illis Malalae locis in ipsa fabulae interpretatione reperiri; itaque ne apud Palaephatum quidem exstitisse videntur. Nec magis eo offendere debemus, quod Ἥλιος Aegypti rex fuisse dicitur, nam hunc regem et deum eundem esse nusquam legimus apud Malalam. Apparet

omnino his locis Palaephateis a Malala allatis non id agi, ut deos, qui existimantur, non nisi homines fuisse probetur — quae erat Euhemeri ratio —, sed hoc demonstrare vult auctor multa, quae deorum opera et auxilio facta ideoque mirabilia esse videantur, simpliciter explicari posse. Quae cum ita sint, Festae (pg. 27) sententiam, Malalam ex collectione aliqua hausisse, quae praeter fabulas vere Palaephateas etiam Pseudo-Palaephateas continebat, his locis non probari, ac re vera utrique Malalae loco Palaephati fabulam subesse puto. Nec vero dubitandum est, quin Palaephati verba alienis ornamentis et additamentis aucta sint. Quod de ceteris quoque Malalae locis, quibus ad Palaephatum provocat, dicendum esse paulo infra apparebit.

Quae Malalas pg. 63. v. 2. sqq. de raptu Proserpinae Palaephato auctore nominato tradit, omnino cum Pal. c. XL, ubi de Cerbero ex inferis abducto agitur, comparanda non sunt. Itaque Festa (pg. 23) ne hinc quidem debuit concludere Malalam ex recensione operis Palaephatei a nostra diversa hausisse. Nec minus erravit, cum apud Anon. cap. VI. (pg. 322. West.) et apud Eustath. ad Iliad. VIII. pg. 714. 53 sqq. eandem atque apud Malalam versionem inveniri diceret, nam illi (diversis rationibus) explicare student, unde fabula Herculem Plutonis canem ex inferis ad Eurystheum duxisse orta sit[1]), Malalas de raptu Proserpinae agit.

Mea quidem sententia in Palaephati fabula perdita, quae Malalae loco subest, canis nomen omnino non exstabat; verba ὅν καὶ Τρικέρβερον ὠνόμαζον διὰ τὸ τριῶν κυνῶν ἔχειν κεφαλὴν καὶ μέγεθος σώματος ab ipso Malala apposita esse e Τρικέρβερος forma homine illo stultissimo sane dignissima et inde, quod Palaephatus plane diversa ratione de Cerberi tribus capitibus iudicat, dilucide apparet. (Τρικέρβερον vocem non in Κέρβερον καὶ Τρικάρηνον mutandam esse, ut Festa pg. 23. adn. 1 putat, e Tzetz. Chiliad. II. 51. v. 745. cognoscimus, ubi legimus: καὶ κύων ὁ Τρικέρβερος, quae verba Tzetzes sine dubio ex Malalae loco descripsit). Palaephati vero ingenium etiam apud Malalam agnoscimus, nam verba τὰς δὲ εὐμόρφους γυναῖκας οἱ Μολοσσαῖοι τῇ ἰδίᾳ γλώσσῃ κόρας ἐκάλουν, quae apud Tzetzem quoque leguntur, optime conferri posse puto cum Pa-

[1]) Apud Anonymum scribendum esse videtur: ὅτι Κέρβερος Ἀϊδωνέως κύων ἦν βασιλέως Θεσπρωτῶν, nam tradita verba ferri nequeunt.

laephati verbis (c. VII) καλοῦσι δὲ οἱ Θηβαῖοι τὴν ἐνέδραν αἴνιγμα. Sed Tzetzes aliam quoque narrationem illo loco adhibuisse videtur simillimam interpretationi Philochoreae ab Eusebio (chron. 623 (H.) 617 (A.) II. pg. 36. 37) servatae. Philochorus explicare studet fabulam Theseum ab Hercule ex inferis abductum esse. (Quae interpretatio cum Malalae loco, quo Thesei mentio omnino non fit, conferenda non est.)

De Sphinge verba facit Malalas pg. 40. v. 14. sqq., cum ad Palaephatum (c. VII.) provocet, cuius interpretatio cum Malalae fabula congruere non videtur. Cum Malalae verbis consentiunt ea, quae provocans et ipse ad Palaephatum Eustathius (ad. Od. XI. pg. 1684. 21. sqq.) profert, quem veram et integram quoque Palaephati fabulam novisse ex alio loco (ad Od. XIV. pg. 1769. 9. sqq.) apparet, ubi dicit: καὶ ἴσως διὰ τοῦτο Θηβαῖοι τὸν λόχον αἴνιγμα ἔλεγον, ὡς δηλοῖ Παλαίφατος ἐν τῷ περὶ Σφιγγός, cum Malalas Sphingis αἴνιγμα omnino non commemoret. Apud Eusebium quoque veram Palaephati interpretationem reperimus, nam ipse quoque (chron. 758 (H) 762 (A.) II. pg. 46. 47.) Sphingem Cadmi uxorem propter Harmoniae invidiam praedonem esse factam et Thebanis bellum intulisse dicit.

Eustathius et Malalas aliter rem tradunt, nam Sphingem non Cadmi uxorem, sed mulierem (secundum Malalam viduam) deformem et rapacem fuisse dicunt; praeterea eam non vi sed dolo ab Oedipo interemptam esse referunt, cum se una cum illa praedari velle simularet, id quod aliquanto differre a Palaephati verbis apparet. Summa autem totius explicationis mea quidem sententia eo continetur, quod Sphinx femina rapax fuisse dicitur, quam Oedipus cum comitibus suis interfecerit. Quod si tenemus, Malalae interpretationem aliquam cum Palaephatea similitudinem habere facile quivis concedet. Sed Malalas et Eustathius eundem in modum Laii regis mortem eiusque causam narrant: cum Oedipus interfecta Sphinge summis honoribus a Thebanis afficeretur et a populo rex exposceretur, Laio graviter ferente bellum exarsit, quo Laius interfectus est. Tum Oedipus Laii uxorem in matrimonium duxit, quam ipsius matrem esse ubi cognovit, oculis sese privavit.

Apud Palaephatum Laii nomen omnino non reperimus; tota res Cadmi temporibus geritur, Oedipus simpliciter ἀνὴρ Κορίνθιος appellatur. Itaque, me si audis, hoc dicendum est:

Palaephatus id solum egit, ut Sphingem non fuisse monstrum alatum demonstraret et ostenderet, quid de Sphingis aenigmate iudicandum esset. Hanc interpretationem Palaephateam Eustathius novit, sed eam quoque versionem, quae apud Malalam legitur, ei notam fuisse nemo potest negare.

Iam quaerendum est, unde Malalas ea habeat, quae profert. Fieri potest, ut ipse aut ex suo ingenio aut ex alio fonte ea addiderit, quae a Palaephati fabula aliena sunt; sed verisimilius est eum omnino verum et integrum Palaephatum manibus non tenuisse, sed opusculum retractatum et additamentis depravatum inspexisse. Certum iudicium ferri vix unquam poterit, cum uno tantum loco Malalae versionem cum servato Palaephati opere conferre nobis liceat.

Restat, ut de Philochori huius fabulae explicatione, quae exstat apud Natalem Comitem (Müller FHG. I. pg. pg. 413. frg. 174.) pauca dicam, cum Festa putet (pg. 25.) ad Philochorum Malalae fabulae conformationem referendam esse. Si modo Natali Comiti fides habenda est, Philochorus in libro de sacrificiis haec dixit: „Minervae consilio edoctum Oedipum societate rapinae simulata se ad Sphingem contulisse atque novis semper sociis Oedipo se addentibus denique illam cum magna suorum manu oppressisse.“ Non potest negari Malalae narrationem cum Philochorea aliquid similitudinis habere, nec vero eas inter se cohaerere concludendum est.

Duos Malalae locos ad Palaephati de incredibilibus librum nullo modo referri posse puto. Quae Malalas pg. 32. de purpurae inventione profert, plane aliena sunt a Palaephati libro; quomodo factum sit, ut Malalas hoc loco ad Palaephatum provocaret, ego decernere vix ausim. Item ea, quae leguntur apud Malalam pg. 209. v. 4 de Perseo rege — τούτου δὲ καὶ Παλαίφατος μέμνηται —, cum natura et ingenio libri περὶ ἀπίστων certant. Verisimilis esse opinio videtur Malalam, qua erat stultitia, Perseum Macedonum regem cum Perseo Danaes filio, cuius Palaephatus mentionem facit, confudisse.

Iam vero paucis, quid de omnibus his locis allatis iudicandum esse censeam, complectar. Ostendisse mihi videor, quaecunque afferuntur sub Palaephati nomine, sed iam non exstant in libro servato, exceptis duobus Malalae locis ex Palaephati opere pleniore eo, quod nos habemus, hausta esse. Sed non minus certum est apud Malalam verba Palaephatea addi-

tamentis ita amplificata et obscurata legi, ut quae genuina fuerit forma cognoscere non possimus. Quae cum ita sint, non potest dubitari, quin opusculum περὶ ἀπίστων inscriptum partem tantum genuini operis Palaephatei contineat.

Sed ne eam quidem operis Palaephatei partem, quam nos habemus, integram esse diversis de causis apparet. Nam exceptis illis capitibus, quae supra (pg. 10) operi Palaephateo abiudicanda esse diximus, in nonnullis codicibus cc. XXXV. et XXXVII. plane desunt, in ceteris gravissime corrupta leguntur. Tum singularum fabularum ordo non idem est in omnibus codicibus, velut in DM codd. fabb. III. et IV. sequuntur fabulas VI. VII. VIII.

Festa (pg. 15. sqq.) demonstrare studuit per totum libellum, qualis nunc exstat, fabularum ordinem turbatum esse. Omnia eius argumenta afferre et examinare hoc loco non possum; multa sane incerta sunt ae dubia, sed hoc manifestum esse videtur eiusdem generis interpretationes olim coniunctas fuisse. Quod etiam e servato libro apparet, nam capp. XI. et XII. agitur. de hominibus non vulnerabilibus, XIV. et XV. de hominibus in bestias mutatis, III. et IV. de eis, qui ab ipsorum animalibus domesticis devorati sunt. Quae fabulae quam arte coniunctae sint, inde apparet, quod semper in priore tantum accurate narrationis difficultates et ineptiae exponuntur et explicantur, cum in posteriore ad interpretationem iam allatam provocet auctor. Itaque fabulam XXVI.[1]) cum fabb. III. et IV coniungendam esse vel esse apparet, quod accurata interpretatio in ea deest. Eodem modo fabulas XXV et XL. coniungendas esse Festa recte suspicatus est, nam verbis δῆλον δὲ ὅτι καὶ οὗτος ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκλήθη Τρικάρηνος, ὥσπερ ὁ Γηρυόνης, quae legimus in fab. XL. (pg. 302. 17.), aperte ad fabulam XXV. reducimur. Praeterea cum his duabus fabulis fortasse omnes eae coniunctae olim fuerunt, in quibus hominum cognomina ad corporum formam pertinentia ex oppidorum nominibus derivantur. Collectae sunt eiusmodi interpretationes apud Eustath. ad Od. IV. pg. 1504. 53 sqq. Verisimillimum igitur esse videtur fabulas eadem ratione explicatas in integro opere coniunctas fuisse. Num ea quoque, ut Festa

---

[1]) Quae fabula in cod. L (cfr. Festam pg. 17 adn. 1.) et R inscribitur περὶ Διομήδους, in ceteris περὶ Γλαύκου τοῦ Σισύφου.

(pg. 19.) putat, quae ad eandem personam pertinent, eodem capite olim coniuncta fuerint, (velut ea, quae de Daedalo narrantur fabb. XIII. et XXII.) vix unquam pro certo diiudicari poterit.

Quaecunque adhuc protuli de forma libelli περὶ ἀπίστων inscripti, ideo praemittenda mihi visa sunt, ut appareat, quam lubrico atque incerto fundameuto nitamur, cum in sermonem Palaephateum inquisituri sumus. Non agitur hac in quaestione de opere integro ac solido, sed de libro mutilato, decurtato, excerpto. Augentur difficultates, si respicimus ne singulorum quidem locorum scripturas in codicibus convenire. Itaque non possum non verba facere de Palaephati codicibus, priusquam ad sermonem verborumque usum huius auctoris examinandum transeam, praesertim cum, quae inter singulos codices intercedat ratio, adhuc non satis perspicuum sit.

Caput II.

Codicum Palaephateorum duas classes esse distinguendas iam pridem cognitum est; alterius classis codices continent nonnullas fabulas quarta vel tertia parte ampliores quam ceteri (cfr. Westerm. praef. pg. XIV.). Quicunque adhuc exstiterunt auctores, omnes pleniores codices ut interpolatos reiecerunt. Westermann in editione sua, quamquam breviores potissimum codices secutus est, tamen hic illic alterius classis lectiones adhibuit.

Quae opinio quam perversa esset, eodem fere tempore Fröhner in Philol. Suppl. V. pg. 34. sqq. et Boysen in Philol. vol. XLII. probaverunt. Festa in libello suo (pg. 9—15) satis magnam exemplorum copiam côngessit, e quibus dilucide apparet ampliores codices adeo non interpolatos esse, ut contra breviores codices ex illis derivatos esse, et ea, quae in brevioribus libris desunt, ad iustum sensum efficiendum maxime necessaria esse iudicandum sit. Exemplis a Festa allatis addi possunt duo loci pg. 279. 4. sqq. et pg. 301. 6. sqq. Sat multis locis ampliorum codicum lectiones, quae in brevioribus non exstant, ipsis corruptelis et obscuritatibus interpolationis suspicionem removent (Festa pg. 14.). Quae cum ita sint, breviores codices librum magis excerptum praebere quam pleniores sta-

tuendum est, unde sequitur hos codices esse adhibendos, si aliquanto certe propius ad integri operis Palaephatei tenorem accedere cupimus.

Westermann ampliores codices hos enumerat (praef. pg. XIV.): Oxonienses tres (O^{abc}), Cantabrigiensem (C), Gallicum (G), Florentinum (F), Arundelianum (A), Tollianum (T), Dresdensem (D), Mosquensem (M). Medium quasi locum inter utrumque codicum genus Westermanno Ravianus (R) tenere videtur (pg. XIII.). Quos omnes codices praeter Dresdensem Westermann ipse non inspexit, sed aliorum ex editionibus novit.

Boysen, qui cod. Ravianum in bibliotheca regia Berolin. denuo repperit (l. c. pg. 285 sqq.), recte videtur coniectasse ATR unum eundemque esse codicem. A nihil aliud esse nisi T iam Westermann suspicatus erat. Boyseni sententia, cuius argumenta me repetere non est opus, comparatis inter se Raviani scripturis et eis, quae a Westermanno ex codd. A et T (adhibita Tollii editione, de qua Westermann saepius non satis accurate refert), afferuntur, valde confirmabitur. Praeterea quem locum teneat Ravianus in codicum Palaephateorum numero, aliis codicibus collatis diiudicandum mihi visum est. Itaque cum Boysen Raviani plenam collationem non fecisset publici iuris, ipse quam potui diligentissime codicis Raviani scripturas contuli, qua collatione infra utar.

Cum Westermann (pg. XII.) putasset classis auctioris „tantam esse in libris discrepantiam, tot gradus et quasi genera, ut de una recensione plane non posset cogitari“, Boysen omnes pleniores codices inter se cohaerere demonstrari posse contendit. De codd. CGF quae comperimus, cum non sufficiant ad iudicium ferendum, hos omittam. Verisimillimum est in amplioribus codicibus hoc ordine fabulas legi: I. II. VI. VII. VIII. III. IV.[1])

Sed statim duas codicum pleniorum classes distinguere licet, nam cum fabb. XXXV. et XXXVII. desint in cod. R et in Oxonn.[2]), exstant in codd. DM et in alio codice summi mo-

1) Boysen l. c. pg. 301; hoc etiam de Oxoniensibus dicendum esse inde conicio, quod Westermann ad fab. VI. adnotat: hanc et duas seqq. ut videtur om. O; fortasse Galeus, qui materiam praebuit Westermanno, illo loco ex Oxoniensibus varias lectiones ideo non attulerat, quod fabb. VI. VII. VIII. alio loco legebantur.

2) De A et T nihil comperimus; tamen e Galei et Tollii silentio quidquam concludi posse Boysen iure negavit.

menti mutilato (nam Palaephatum non nisi a cap. 28 medio continet), quem Fröhner (Philol. Suppl. V. pg. 34 sqq.) in lucem protulit, Parisino 854 (P) saeculi XIII. Quem codicem omnino arte cohaerere cum DM codd. infra demonstrare conabor.

Iam accuratius examinemus, quibus aliis codd. R propinquus sit. Ex fabularum et numero et ordine eum propius accedere ad Oxonienses, quam ad alios supra exposui, quam sententiam ex singulis quoque variis lectionibus demonstrari necesse est. Quod in fabb. VI. VII. VIII. passim R cum DM codd. congruit, nihil inde concludere debemus, cum illo loco de Oxoniensibus nihil omnino comperiamus. Sed si ceteras fabulas perlustramus, satis multos locos reperimus, ubi R cum Oxoniensibus solis, praecipue cum O^a, qui diligentius excussus est, congruat; quod mihi nonnullis exemplis omissis levioribus illustrare liceat:

pag. 268. 1 ἀνθρώπων γὰρ οἱ μὲν εὐπειθέστεροι πείθονται O^a R (DM om. πείθονται); 270. 8. μετὰ τοιοῦδε (O^{ab} τοῦδε) τρόπου O^{ab}R (vulg. τοῦτον τὸν τρόπον); 270. 12. παρὰ τοῦ ἰξίονος (ἠξίῶνος R) δὲ λαβόντες χρήματα OR(DM π. τ. ἰξίωνος ταῦτα λαβόντες τὰ χρήματα); 272. 18. ὁμοίως O^{ab}R (DM ὁ μίνως); 274. 2. πλούσιος ἕως αὐτὸς ἐγεώργει O^aR (DM πλουσιώτατος, ὃς αὐτὸς ἐγ.); 274. 6. ἐπείπερ — κατεβρώθη om. O^aR propter praecedens κατεβρώθη (DM exhibent ὡς ἂν — κατεβρώθη); 281. 16. εἰςέρχονται — μιχθησόμενοι OR (vulg. εἰςέρχεται — μιχθησόμενος); 281. 20. μεταβληθῆναι O^aR (DM μεταβαλεῖν); 282. 17. ἐπολέμουν τὴν τυρίαν χώραν O^aR (DM ἐπ. τ. τυρρηνίαν χώραν); 283. 4. οὐκ ἰσόμετρον ταῖς πύλαις O^aR (DM πρὸς μέτρον τῶν πυλῶν); 283. 8 sqq. σίνων φράζει (O^a φράζοι) αὐτοῖς κατὰ μαντείας, ὡς εἰ μὴ εἰςαγάγοιεν τὸν ἵππον εἰς τὴν πόλιν, ὑποστραφεῖεν οἱ (R om. οἱ) ἀχαιοί, ἐάν δὲ εἰςαγάγωσιν οὔ O^aR (DM σίνων φράζει εἰς ἴλιον ὑποστρεφόντων ἀχαιῶν ἂν δὲ εἰςγάγωσι μηκέθ' ἠξόντων); 283. 17. τὸν χρόνον καθ' ἃς ἐπιτολὰς (R corr. ex ἐπιστολὰς) ἄνεμοι πνευσοῦνται OR (DM τοὺς χρόνους καὶ καθ' οὓς ἐπ' ἰστοῦ τινες ἄνεμοι πνευσοῦνται); 284. 6. ἐφ' ἃ μῆλα καὶ Ἡρακλῆς ἐστρατεύσατο om. OR, habet vulg.; 284. 7. ἔχει δὲ ὧδέ πως τὸ ἀληθές OR (vulg. ἔχει δὲ ἡ ἀλήθεια ὧδε); 286. 8. συμπεφυκότας ὁμοῦ τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας (sic R) παρατεταμένους (— ας O) ἐποίουν OR (DM συμπ. ὁμοῦ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας τετακόντας ἐποίουν); 287. 4. ἀνδρὸς οὐκ ἀνέμου OR (ἀνδρὸς οὐκ ἀσήμου vulg.); 287, 13.

ἐπιθυμητικῶς διέκειτο πρὸς αὐτὴν OR (DM om. πρὸς αὐτὴν); 288. 4. ὑπερφέρων τῶν ἄλλων OR (vulg. διαφέρων om. τῶν ἄλλων); 288. 13. ὅτι ὑπὸ τροφῶν (Οτρυφῶν) καὶ μεγάλων δαπανῶν, ἃς ἐποίει, τῶν οἰκείων οὐδὲν ἐπιμελούμενος (οὐδ. ἐπ. τ. οἰκ. O) RO (ὅτι ἱπποτροφῶν καὶ τῶν οἰκ. οὐδὲν ἐπιμ. καὶ μεγάλας δαπάνας ποιούμενος vulg.); 289. 14. ὁπότε οὔτε ποτάμιόν τι ἐν τῇ θαλάσσῃ οὔτε τὸ ἀνάπαλιν ἐν τῷ ποταμῷ τὰ θαλάσσια ζῆν δύναται (τὰ θαλ. δύνανται ζῆν ἐν τῷ ποτ. O) OR (ὁπότε οὔτε ποτάμιον ἐν θαλάττῃ οὔτε ἀνάπαλιν DM); 290. 2. διακολυμβήσας—ἱκανὰς om. OR propter duplex διακολυμβήσας; 292. 8. fab. XXX. in O[a] R inscribitur περὶ πέλοπος καὶ ἱπποδαμείας item aliae fabulae in O[a] et R eandem habent inscriptionem a ceteris diversam, velut fab. XXIII. περὶ ἁρπυιῶν [ἁρπυίων R] καὶ φινέως; fab. XXXII. περὶ τοῦ φόρκυνος καὶ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ καὶ τοῦ ἑνὸς ὀφθαλμοῦ αὐτῶν; fab. XXXIV. περὶ τῆς [om. O] ὀρφέως κιθάρας; fab. XXXIX. περὶ τῆς λερναίας ὕδρας [DM om. λερναίας]; fab. XLIV. περὶ τῆς ἀφεψήσεως [ἀφέψεως O] τῆς μηδείας); 293. 6. τὸν αἴτιον τῆς σωτηρίας αὐτοῦ (om. αὐτοῦ O) σφάττει καὶ τὸ δέρμα δίδωσιν εἰς ἔδνον (ἔδιον R) OR (vulg. τὸν τὴν σωτηρίαν αὐτῷ φράσαντα κριὸν καὶ διασώσαντα σφάξας καὶ τὸ δέρμα ἀποδείρας ἔδωκεν ἔδνον Αἰήτῃ); 293. 18. ἔδραμεν OR (DM ἔπλευσεν); 294. 9. εἰς κόλχους OR (DM εἰς τὸν φάσιν); 294. 11. post κῶ OR add. ὕστερον δὲ ἀθάμαντος τελευτήσαντος (τελ. τοῦ ἀθ. O) ἰάσων πλέει τῇ ἀργοῖ ἐπὶ τοιοῦτον χρυσὸν, ἀλλ' οὐχὶ (ἐπὶ add. O) δέρμα κριοῦ.

His quae attuli exemplis fore spero, ut appareat cod. Ravianum artissime cohaerere cum codd. Oxoniensibus, quamquam nonnulla sunt, quae in his solis exstent, velut pg. 273. 5 O[ab] post Μινώταυρον add. τοῦτο γὰρ ἦν αὐτῷ ὄνομα (et in margine ἦν γὰρ υἱὸς ταύραυ φύσει, μίνωος δὲ θέσει); 300. 13. O post δασμὸν exhib. ὅσοι μὲν ἐδίδουν εἰρηνικῶς διῆγον. Quae omnia si perpendimus, facile intellegimus O et R codd. ad idem exemplar referendos esse.

Alteri classi tres codices certe tribui possunt; cum Dresdensi (D) et Mosquensi (M) coniungendus esse videtur Parisinus 854 (P) saeculi XIII, qui fortasse antiquissimus est ex omnibus Palaephati codicibus adhuc notis. Quamquam autem male accidit, quod huius codicis iam non nisi minor pars exstat, tamen etiam ex fragmento illo cognosci potest, quibus po-

tissimum codicibus cognatus sit, ita ut appareat, quinam codices pro amissa Parisini parte substitui possint. Ex fabularum numero PDM codd. cognatos esse iam vidimus, id quod singulis locis collatis magis etiam apparebit. In his tribus codicibus examinandis apparatu critico multo pleniore uti possumus, quam in ceteris; nam Westermann ipse Dresdensem accurate contulit, Mosquensis lectiones Fischer publici iuris fecit. Parisinum vero, cuius varias lectiones Fröhner tribus quattuorve tantum locis attulit, cum ipse conferre non possem, operam dedi, ut collationem eius codicis mihi procurarem, quam Henricus Lebègue litteris rogatus summa cum benignitate summaque cum cura in usum meum confecit.

D et M codices quam arte inter se cohaereant, Westermanni apparatu obiter inspecto unicuique manifestum erit, cum perpaucis locis exceptis, quae D praebet, praebeat M, quae in D omissa sunt, desint in M, ac praesertim cum permultae corruptelae non nisi in his codicibus duobus reperiantur, id quod exemplis illustrari opus non est. Quae cum ita se habeant, aut ex eodem exemplari descriptos esse DM codd. aut alterum ex altero fluxisse necesse est. Westermann (praef. pg. XIV.), cum Dresdensis XIII. saecl., Mosquensis XIV. saecl. sit, Mosquensem Dresdensis apographum esse statuit.

Transeamus ad cod. Parisinum 854, qui ipse quoque saeculo XIII. scriptus est. Quem si cum ceteris codicibus accuratius notis comparamus, haec fere cognoscimus: Non desunt loci, quibus P contextum multo breviorem praebet, quam reliqui codices, ita autem ut non de excerptis consilio et ratione factis cogitare possimus, sed aut librarii neglegentia aut codicis primarii corruptelis plura omissa aut perdita esse statuere debeamus, velut pg. 294 adn. P habet γεμίσας τὴν ναῦν πολλῶν ἀγαθῶν· καὶ τὴν ἑαυ[τῆς] εἰκόνα χρυσῆν ᾤχετο ἀπιών, ubi etiam brevioris classis libri plura exhibent; paulo infra 294. 10. 11 pro Αἰήτου θυγατέρα X. — τῆς κῶ P habet θυγατέρα αἰήτου τὴν κῶ; pg. 295. 5 sqq., ubi omnes codices admodum inter se discrepant, in P haec leguntur: καὶ οὕτως διετέλουν ἀντιδιδούσης μιᾶς τῇ ἑτέρα τὸν ὀφθαλμόν; vv. 6—14 plane omittuntur in P; haec tantum exstant: ἦν δὶ καὶ ἑτέρα γοργῶ καλουμένη. ἐγένετο τοίνυν τοιοῦτόν τι; 304. 2. 3 pro verbis καὶ Ἄκαστος — λαμβάνει haec reperiuntur in P: ἔμελλον δὲ αὗται ἀντὶ τοῦ πατρὸς ἀποκτανθῆναι. αἱ μὲν ἄλλαι ἔπαθον; fab.

XLIV pg. 306. 4—13 sic legitur in P: οὐδένα δὲ δείκνυται νέον ποιήσασα· ὃν δὲ ἕψει, πάντως ἀπέκτεινεν· [ὃν — ἀπέκτεινεν in P solo, quod sciamus, exstant] ἐγένετο δὲ τοιοῦτον· μήδεια πρῶτον ἐφεῦρεν ἄνθος τὸ πυρρὸν καὶ μέλαν. βάπτουσα γὰρ αὐτοὺς τὰς λευκὰς τρίχας εἰς μέλανας καὶ πυρροὺς μετέβαλλεν ὁρκῶσα μηδενὶ εἰπεῖν. οὐ γὰρ ἔμπροσθεν τῶν ἰατρῶν τοῦτο ἐποίει· ὠνόμαζε δὲ παρέψησιν· ὁρῶντες γὰρ τὰ ξύλα καὶ τὴν τῶν λεβήτων παρέψησιν (fort. παρασκευήν leg.), ἐπείσθησαν ὡς ἑψεῖτο τοὺς ἀνθρώπους.


Sed reperiuntur loci aliquot, qui in nullo praeterea codice, quod nos quidem sciamus, exstent, velut pg. 292. 15 ἐπιγεγραμμένοι δὲ ἦσαν· καὶ ἵπποι ὑπόπτεροι. ἔλεγον δὲ οἱ ἄνθρωποι ὡς ἁρπάσας τὴν οἰνομάου θυγατέρα ἐπὶ τῶν ἵππων τῶν ὑποπτέρων ᾤχετο φεύγων; 298. 8 ὡς καὶ νῦν (etiam in RDM) οἱ πατηριάται παραξίθοοι; 307. 17 ἐξ οὗ ὁ μῦθος· καὶ οἱ γραφεῖς γράφοντες προςγράφουσι τὸ ἀμαλθείας κέρας.

Paucis locis P cum O^{a}R magis consentire videtur quam cum DM; pg. 294. 10 P habet ὕστερον δὲ ἀθάμαντος τελευτήσαντος ἰάσων πλέει σὺν τῇ ἀργοῖ ἐπὶ τοιοῦτον τὸν χρόνον (!) τῆς κῶ; O^{a}R ὕστ. δὲ ἀθ. τελ. ἰάσων πλέει τῇ ἀργοῖ ἐπὶ τοιοῦτον χρυσόν; in DM ὕστερον — τῆς κῶ omittuntur, sine dubio propter duplicem κῶ verbi formam; praeterea pg. 305. 13 post ἀπίθανον P et R soli addunt τὸ (om. P) καὶ τοσαύτας ἡμέρας ἄσιτον διαμένειν (μένειν R).

Iam vero, cum viderimus haud paucis locis P et a DM et a ceteris codd. abhorrere, examinemus, quo iure PDM codices cognatos esse dici possit. Consentaneum est ea, quae secundum Westermannum in DM solis exstant, sed re vera in R quoque leguntur, argumento esse non posse. pg. 290. 9 soli PDM addunt ὥστερ νῦν εἴ τις ἐν ὄρει οἰκῶν (οἰκεῖ DM) καὶ ὢν ἀγαθὸς θηρευτής, ὄρειος ἄνθρωπος καλοῖτο (κληθείη DM), οὕτω καὶ ὁ γλαῦκος ⟨πλεῖστα ἐν θαλάσσῃ διατρίβων γλαῦκος in P solo⟩ θαλάσσιος ἐκλήθη; 291. 7 P ἀνὴρ φρὺξ γένος κορίνθιος DM ἀνὴρ φρυγίας γένος κορίνθιος; 291. 11 ὄνομα κεῖσθαι PDM (R εἶναι); 294 adn. ἐνθέμενος ἀθάμαντι ὅτι ἦν πολλοῦ ἄξιον PDM; 294. 9 τὸν φάσιν PDM (O^{a}R κόλχους); 296. 5 PDM πρὶν ἢ (vulg. πρὶν); 296. 9 P οὔτε τινὶ ἀναθεῖναι σφῆσιν DM οὔτε τῷ ἀναθεῖναί γέ σφισιν R οὔτε ποὺ ἀναθεῖναι ταύταις; 296. 11 ἑταῖρος om. PDM; 296. 16 κύρνου PDM; 296. 17 σαρδοῦς PDM; 297. 16 ὡς συλλεξόμενοι PDM; fab.

XXXV. pg. 299. 3 sqq. sic exstat in P: περὶ πανδώρας οὐκ ἀνεκτὸς ὁ λόγος, ὡς ἐκ γῆς ἀνεκδότη. καὶ ἑτέρας ἀναδιδόναι· τὸ δὲ οὔ τοιοῦτον. ἀλλὰ πανδώρα γυνὴ ἐγένετο ἕλλην πλουσία, καὶ ὅτε ἐξίοι ἐκοσμεῖτο καὶ ἐχρίετο πολλῇ τῇ γῇ. tum PDM πρώτη γὰρ αὐτὴ ἐξεῦρε χρίεσθαι τῆς γῆς τὸ χρῶμα ὡς καὶ νῦν πολλαί. ⟨ὀνομάζεται δὲ οὐδεμία διὰ τὸ πλεῖστον praeterea add. PM⟩; 303. 9 P add. ἀτοπίας ἕνεκα DM ἀποπίας ἕνεκα; 303. 9 ὑφίησιν PDM; 303. 17 ἀποθανεῖσθαι PDM; 305. 11. 12 PDM ὡς ἐκ γυναικὸς βοῦς γενομένη καὶ οἰστρήσασα διὰ τῆς θαλάσσης ἐξ ἄργους εἰς αἴγυπτον ἀφίκετο (DM ἀφίκοιτο).

Quid igitur de codice Parisino iudicandum esse videtur? Apparet P propius accedere ad DM codd., quam ad OR; tamen haud paucis locis ita discrepat a DM codd., ut P ex simili codice ac D fluxisse videatur. Itaque hoc stemma, quod dicimus, pleniorum codicum Palaephateorum, quos adhuc accuratius novimus, constitui posse puto:



Quisquis in Palaephati genus dicendi accurate inquisiturus est, eum OaRPDM codicibus acquiescere posse persuasum habeo, cum Festa ipse quoque, qui satis magnae codicum copiae lectiones se nactum esse dicit (pg. 11; cfr. adn. 3), praeter Laurentianum 60, 19 imprimis ODM codices in textu constituendo sibi sequendos proposuerit (pg. 15 § 3).

Caput III.

His absolutis ex Palaephati sermone cum aliorum scriptorum sermone collato, quo tempore libellus de incredibilibus conscriptus sit, enucleare conabor. Ante quem terminum libellus ortus esse debeat, ex temporibus eorum scriptorum, qui opusculi Palaephatei mentionem fecerunt, demonstrandum erit, ita ut libelli περὶ ἀπίστων inscripti auctoris aetas si non artissimis, at tamen paulo certioribus finibus circumscribatur, et hariolationes, quae a multis hac in quaestione rationum loco prolatae sunt, removeantur.

Post quam aetatem conscriptus sit libellus e Melissi et Lamisci Samii, qui in praefatione (pg. 268. 11) commemorantur, temporibus concludi potest. Quamquam enim, quinam illi fuerint, non plane apparet, tamen coniectura aliquid effici posse puto. (Festa pg. 47 simpliciter dicit: due scrittori, che noi non conosciamo.)

Lamiscum quendam novimus e Ps. Plat. ep. VII. 350 B. (cfr. Diog. Laert. III. 22). Fieri potest, ut hic Lamiscus, Archytae et Platonis amicus, idem sit ac Lamiscus a Palaephato commemoratus, demonstrari non potest.

Melissum hoc loco nominatum Melissum esse Euboeicum ignotae aetatis scriptorem, cuius mentio fit apud Fulgentium Mythogr. II. 16, Fabricius coniecit. Nec vero dubitari potest, quin auctor ille, alibi ignotus, a Fulgentio fictus sit; ac mea quidem sententia non est, cur non de Melisso Samio philosopho cogitemus, qui c. a. 450 a. Chr. floruit. Eadem Mullachii (FPhG. I. pg. 260) sententia est. Ac reperiuntur re vera in Melissi opere περὶ τοῦ ἐόντος vel περὶ φύσιος loci, ad quos Palaephati verba referri posse videantur. Praecipue si initium operis illius perlegimus (cfr. Simplic. in Arist. phys. f. 22b εἰ μὲν μηδὲν ἔστι, περὶ τούτου τί ἂν λέγοιτο ὡς ἐόντος τινός; et § 6. ἀεὶ ἦν, ὅτι ἦν, καὶ αἰεὶ ἔσται), aliqua cum Palaephati sententiis in praefatione prolatis similitudo elucet. Quae opinio ad certam perduceretur fidem, si vera esset coniectura iam dudum prolata (cfr. Fischer. ed. VI. pg. 9 adn.) verba τὸν Σάμιον ad Melissum referenda esse, cum Lamiscus accurata significatione vix egeat, ita ut scribendum esset: Μέλισσον τὸν

Σάμιον καὶ Λάμισκον aut fortasse Μέλισσον καὶ Λάμισκον τοὺς Σαμίους [1]).

Itaque ex scriptoribus illis commemoratis concludi posse videtur Palaephati librum post quarti a. Chr. n. saeculi initium ortum esse. Sed vel ex totius libelli natura et ingenio eum multo posteriori aetati tribuendum esse apparet, id quod examinato Palaephati sermone magis etiam apparebit. Quod ad examen priusquam transeam, de ratione, quam sequendam esse censeo, pauca praemittenda sunt. Si quis Palaephati usum dicendi examinaturus et cum sermone aliorum scriptorum collaturus est, hoc maxime respicere debet, quod nos habemus opusculum non esse librum integrum, sed maioris operis fragmentum excerptum. Itaque in singulorum verborum usu perscrutando inprimis operam meam collocandam esse ratus sum, cum contra e syntaxi, quam dicunt, pauca tantum argumenta sumpserim neque ea certiora. Accedit nova difficultas in hoc libello tractando, quod paucis sane locis codices ita inter se discrepant, ut difficile sit dictu, quodnam verbum re vera a Palaephato adhibitum esse videatur. Quae cum ita sint, dixerit fortasse quispiam omnino ex Palaephati sermone, quoniam ne singula quidem verba satis constent, nihil concludi posse. Quae dubitatio fore spero, ut redarguatur talium exemplorum numero, ubi omnes maioris momenti codices ita consentiant, ut in integro quoque opere hoc ipsum, quod nunc legimus vocabulum exstitisse necesse sit. Si triginta vel pluribus locis Palaephateis legi verba, quae ante certam aetatem apud graecos scriptores non reperiuntur, demonstraverimus, vix quisquam poterit negare Palaephati libellum ante illud tempus scriptum esse non posse.

Cum statim haud paucis ex verbis formisque appareat librum ante Alexandri Magni et Aristotelis aetatem ortum non esse, ea tantum argumenta prolaturus sum ex quibus cognoscatur Palaephatum post Aristotelis tempora scripsisse. Quo

1) Ceterum hunc Palaephati locum, ad quem iam nubes coniecturarum prolata est (cfr. Fischerum l. c.) sic conformandum esse puto: ἐν ἀρχῇ λέγοντας· ἔστιν, ἃ ἐγένετο, καὶ νῦν καὶ ἔσται; ita eam sententiam, quam Phasianinus (Argentorat. 1517. fol. IV verso), Voss, Brunner recte sine dubio desiderarunt, efficeremus nec tamen longius a codicum scriptura recederemus. Itaque haec exsistit sententia: Laudo Melissum et Lamiscum Samium, qui in principio (scil. libri alicuius) dicunt: quae unquam facta sunt, nunc quoque fieri possunt et semper fieri poterunt.

facto videbimus, num forte artioribus finibus tempora circumscribi possint.

Praeterea cum certum sit Palaephati opusculum ante Theonem exstitisse, quem ante medium secundum p. Chr. saeculum vixisse mihi quoque persuasum est (cfr. infra pg. 48), ei tantum scriptores respiciendi erunt, qui intra hoc temporis spatium fuerunt. Sunt praeter Aristotelem imprimis Polybius, versio LXX virorum et libri apocryphi vet. Testam., Diodorus, Dionysius Halic., libri novi Test., Plutarchus, Lucianus alii.

Cum Stephani thesaurus in singulis locis afferendis non satis accuratus plenusque sit, ex lexicis ad singulos scriptores confectis et ex indicibus, quantum potui, Stephani exempla auxi. Disputandi ordinem hunc faciam:

§ I. de rebus grammaticis et syntacticis a sermone optimorum scriptorum abhorrentibus, quae apud Palaephatum et apud posteriores scriptores reperiuntur.

a) de nonnullis verborum formis.

b) de structuris inusitatis.

c) animadversiones ad res syntacticas pertinentes.

§ II. de eis vocabulis, quibus Palaephatum post Aristotelis aetatem vixisse demonstratur.

a) de vocibus poeticis a Palaephato adhibitis, quae a posterioribus tantum prosaicis scriptoribus usurpantur.

b) de vocibus Palaephateis, quae aut certa significatione aut omnino apud prosaicos tantum scriptores neque ante Aristotelis aetatem reperiuntur.

§ I. a.

αὐτομάτως forma, quae legitur pg. 305. 4 signif. „sua sponte, nullo adiuvante“ ante Aristotelem nusquam reperitur; a prioribus scriptoribus hoc sensu adiectivum praedicative positum vel ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου formula adhibetur. Posterioris usus exempla leguntur: Aristot. π. πνευμ. 482ª 20; π. ζώων μορ. 640ª 27: π. ζώων γεν. 743ª 35; 761ᵇ 24; Theocrit. XXI. 27; Polyb. I. 58. 8 (Hultsch); I. 63. 9; IX. 6. 7; Diodor. III. 66. 2 et saepius; Dionys. Halic. Antt. I. 59. 4; persaepe apud Plutarchum.

κατεκάη (pg. 292. 3) aoristi passivi formam sensu intransitivo apud Homerum saepius invenimus, tum apud Herodotum. Praeterea apud posteriores tantum scriptores prosaicos κατε-

κάην forma reperitur, velut apud Plutarchum Mor. 420. B. Winer (Grammat. des neutestamentl. Sprachidioms ed. VII. cur. Lünemann Lipsiae 1867 pg. 83) nonnullos affert locos, ubi legimus κατακαήσομαι formam (1. Cor. 3, 15; 2. Petr. 3, 10). Praeterea cfr. Kühner. Gr. Gr. I. § 383 pg. 841; Krüger. II. § 39. pg. 129.

ἐξέπτη (pg. 280. 20), quae forma persaepe a poetis usurpatur (cfr. Kühner. I. § 383 pg. 891; Krüger. II. § 39 pg. 143), apud prosaicos scriptores sero demum reperitur, ut apud Plutarch. Mor. 317 F.; Arrian. Anab. II. 3. 3; Lucian. D. Mer. 9, 4 (3. 303); v. hist. 1, 28 (2, 92); Prom. 4 (1, 188).

προςεποιήθη forma pg. 307. 1 in omnibus exstat codd. praeter P, qui habet προςεποιήσατο; nec vero dubito, quin cod. P librarius usitatiorem formam intulerit. Cum ab Atticis scriptoribus sola προςεποιησάμην forma usurpata sit, passivam formam primus adhibuisse videtur Polybius V. 25. 7; XXI. 22. 1; praeterea Diodorus XV. 46. 2; XIX. 6. 2; XIX. 46. 1 (qui προςεποιησάμην quoque formam adhibuit I. 94. 2). Eundem in modum alia quoque medii deponentia posteriore aetate passiva aoristi forma usurpantur, velut ἀπεκρίθην, παρεγενήθην etc.

b.

κατὰ τὸν δέοντα χρόνον legimus pg. 300. 12, cuius locutionis unum exemplum prorsus geminum repperi apud Polybium IX. 6. 7 ἀθροισθῆναι πρὸς τὸν δέοντα καιρὸν εἰς τὴν Ῥώμην.

εἰς πράττομαί τι παρά τινος locutio exstat pg. 297. 13. Ab optimis scriptoribus εἰςπράττειν vel medium cum duobus accusativis coniungi solet. Cum Palaephati loco congruunt nonnulli Diodorei: XIII. 42. 2; XIII. 47. 8 (§ 7 scribit τοὺς ἐν αὐταῖς νεωτερίζοντας εἰςεπράττετο χρήματα) et Dionys. Hal. Antt. VIII. 25. Lucianus vero Paras. 52 (2, 876) Atticorum usum sequitur.

πολλὰ κακὰ εἰργάζοντο, καὶ δὴ κατ' αὐτοῦ τοῦ (om. DM) Ἰξίονος (in R totus locus librarii neglegentia omissus est) legimus pg. 270. 14, quae structura a communi usu, quo postulatur κακὰ ἐργάζομαί τινα (ut legitur Palaeph. pg. 271. 3), abhorrens alibi non reperiri videtur.

ἱπποτροφεῖν οὗτος ἐπελάβετο exstat pg. 274. 16 (O^a ἐθέλησε, R ἠθέλησε); alibi ἐπιλαμβάνεσθαι cum genitivo substantivi tantum coniunctum reperitur.

πολεμέω cum accusativo coniunctum legitur pg. 282. 16 in opt. codd. ἐπολέμει τὴν (om. R) τυρίαν χώραν (O^aR, DM τυρρηνίαν χώραν); fortasse aliis quoque locis Palaephateis huius usus vestigia exstant, cum pg. 276. 11 in R legatur ἐπολέμουν τοὺς Θηβαίους et paulo infra v. 16 in RDM σπαρτοὶ πολεμοῦσιν ἡμᾶς; pg. 270. 20 Westerm. scribit. ἐπολέμουν οὖν τοῖς Λαπίθαις (O^{ab}) (ἐπολέμουν αὐτοῖς DM, ἐπ. αὐτούς R); pg. 277. 17 in codd. exstat ἐπολέμει τῷ Κάδμῳ; pg. 301. 12 RPDM exhibent ἐπολέμουν οὖν αὐτῷ. Verisimile igitur est Palaephatum utramque structuram adhibuisse.

De verbo πολεμεῖν cum accus. coniuncto fusius nec vero recte egit Fr. Krebs (Zur Rection der Casus in der späteren histor. Graecität. Progr. Regensburg 1885, pg. 16 sqq.), qui sat multis locis hanc structuram coniectura removendam esse censet, cum tamen singuli loci inter se defendant.

Primum[1]) a Polybio πολεμεῖν cum accus. coniunctum esse videtur (cfr. I. 15. 10; XVIII. 49. 1); tum persaepe in ll. Maccabaeorum haec structura nobis occurrit (I. 3. 14; 4. 18; 4. 41; 5. 30; 5. 50; 8. 32; 9. 8; 9. 64; 11. 50 etc. etc.; I. 11. 20 ἐκπολεμῆσαι eadem adhibetur signif., qua ἐκπολιορκῆσαι). Apud Diodorum nonnulla exempla reperiuntur (IV. 61. 3; XVII. 24. 6; XVII. 40. 3; [dativum personae habemus III. 49. 3] (cfr. etiam Krebs. pg. 17); item apud Dionysium Halic. nonnulla exstant (Antt. IV. 64. 1; V. 36. 1; VI. 34; XIX. 1; Ep. ad Cn. Pomp. V. 5), quae omnia fere coniecturis temptata sunt. Iosephi exempla collegit Krebs pg. 18, e Plutarcho profert Vitt. 495 A., sed quamquam apud Plutarchum plerisque locis πολεμεῖν c. dat. coniungitur, duobus praeter illum locis accusativum repperi: Vitt. 452 C. et Mor. 349 A. Praeterea Apollod. bibl. III. 15. 8 (West. pg. 121. 14) exhibet ἐπολέμησε στόλῳ τὰς Ἀθήνας.

---

1) Dinarch. adv. Demosth. § 36 et Demosth. XXIII. (κατ' Ἀριστοκράτους) 165 Bl. (196 Dind.), πολεμεῖν cum accusativo coniunctum ferri non posse mihi persuasum est (cfr. Cobet. Miscell. crit. pg. 541). Sed cfr. Matthiae II. § 404. c. adn. 2 pg. 906. et Kühner. II § 423. 11 adn. 9 pg. 357.

c.

E rebus syntacticis quamqum minus facile certeque libelli Palaephatei aetatem cognoscere possumus, quam ex singulorum verborum usu, praesertim cum, quam dubiae in opere excerpto singularum enuntiationum formae esse debeant, nemo sit, quin sciat, tamen has quoque res summatim mihi perstringendas esse puto. Nonnullas ex eis, quas prolaturus sum, rebus apud priores quoque scriptores observari posse haud ignoro; cum vero illi raro tale quid sibi concesserint, in operis Palaephatei paucis foliis satis multi eius generis loci occurrunt, ut ea quoque de causa nostro iure libelli auctorem illi aetati tribuere possimus, qua scribendi elegantia magis magisque evanescere coepit.

Apud Palaephatum nonnullis locis ὅστις pro ὅς pronomine adhibitum reperimus, quamquam enuntiatum relativum neque ad indefinitum numerum neque ad genus hominum, sed ad certam personam vel etiam ad nomen proprium refertur, ut pg. 283. 13; 286. 19; 295. 2.

Eius generis exempla, sed rara, iam inde ab Homero reperimus (cfr. Il. Ψ. 43), posteriores vero scriptores graeci, cum fortiores quodammodo voces adamarent, ὅστις et ὅς promiscue sine ulla distinctione adhibent (Kühner II § 554. 1 adn. 1 pg. 906). Similes aliquot loci in N. Test. exstant, ut Act. X. 41; X. 47; XVII. 11 et saepius.

Haud raro in libro Palaephateo μή negationem legimus, ubi οὐ exspectandum est. Quod persaepe occurrere in posterioris aetatis scriptis docent Hermann ad Viger. ed. IV. Lips. 1834 pg. 804. 806; Winer § 55 pg. 453; Kühner II. § 515. 3 pg. 755. Exempla Palaephatea haec sunt: pg. 280. 7; 282. 8; 290. 2; 290. 10; 297. 6; 303. 20 [1]). Conferri potest e. g. Diodor. IV. 63. 4 ἔνιοι δὲ τῶν μυθογράφων φασὶν ἀμφοτέρους μὴ τυχεῖν τοῦ νόστου.

Persaepe reperimus φημί coniunctum cum ὅτι vel ὡς, cuius usus rara exempla apud priores scriptores exstant (Kühner II. § 473 pg. 576 adn. 1; § 550 pg. 876 adn. 2), apud Palaephatum (pg. 269. 9; 273. 9; 274. 11; 278. 8; 279. 15;

---

1) pg. 273. 10 vera lectio esse videtur ἐμοὶ δὲ δοκεῖ Ἄρτεμιν μὲν (OaR; μὲν μὴ DM, οὐ vulg.) δύνασθαι ὅ τι θέλοι (R θέλει) ποιῆσαι (Festa pg. 26 adn. 4).

280. 10; 280. 18; 283. 1; 284. 1; 284. 20; 287. 20; 288. 12; 290. 13; 292. 8; 305. 11; 307. 6).

Etiam existimandi verba cum ὡς coniuncta reperimus pg. 283. 15; 306. 13 ἐπείσθησαν (RPDM, vulg. ἐνόμιζον) ὡς ἔψει τοὺς ἀνθρώπους.

Nonnullis locis in enuntiatis iterativis legimus ἐπειδὰν vel ὅς ἄν cum indicativo coniunctum, ubi ex omnium codicum consensu in integro quoque opere sic scriptum fuisse concludendum est pg. 290. 8 καὶ κομίζων οὓς ἂν ἤθελον (ἤθελεν DM pr. m.) Γλαῦκος θαλάττιος ἐκλήθη; 298. 8 ἐπειδὰν μὴ (om. R) παρεῖχον τὰ χρήματα. Fortasse etiam pg. 277. 3 scribendum est ὃν δ'ἂν εὗρε διαλύσασθαι μὴ δυνάμενον, τοῦτον ἀνῄρει, quam scripturam R solus praebet.

Qui apud optimos scriptores reperiuntur eiusmodi loci omnes partim e codicibus partim lenissima scripturae mutatione correcti sunt (cfr. Hermann. ad Vig. pg. 820; Matthiae II § 521. pg. 1197; Kühner II § 398. 2 adn. 1 pg. 205; § 575. adn. 5 pg. 978). Apud Aristotelem π. τὰ ζῶα ἱστ. pg. 585ª 12 in edit. Acad. Berol. legimus: ἐὰν δ'ἐγγὺς ἡ σύλληφις ἐγένετο, τὸ ἐπικυηθὲν ἐξήνεγκαν (ubi fortasse ἐγένετο verbo in γένοιτο mutato difficultas tolli potest); apud Dinarchum c. Philol. 2 ἐὰν εἴληφέ τι τῶν χρημάτων pro εἴληφε Bekk. Thalh. Blass scripserunt εἰλήφῃ (Winer § 41. pg. 277. adn. 2 εἴληφε teneri posse putat).

Certa huius usus exempla apud Polybium reperiuntur. IV. 32. 5 ὅταν μὲν οὗτοι ἐν περισπασμοῖς ἦσαν, ἐγίνετο τὸ δέον αὐτοῖς ..... ὅταν δ'ἐτράπησαν .....; XIII. 7. 10 ὅταν προςήρεισε ταῖς χερσὶ πρὸς τὰ νῶτα τῆς γυναικός ..... ἠνάγκαζε .... (ita Hultsch codices secutus, cum alii particulam copulativam desiderantes οὖν inserant et aut ὅταν οὖν aut ὅτ' οὖν scribant). De his locis Polybianis egit Io. Stich (de Polyb. dic. genere in Act. Sem. Phil. Erlang. II. pg. 202). Tertio Polybii loco XIII. 7. 8, cum aperte corruptus sit, exemplo uti non possumus Saepissime in graeca versione veteris Testamenti et in novo Testamento eiusmodi exempla leguntur, quae collegit Winer § 42. 3 pg. 287; § 42. 5 pg. 290; cfr. e. g. 1. Ioh. V. 15 ἐὰν οἴδαμεν; Marc. III. 11. τὰ πνεύματα ..... ὅταν αὐτὸν ἐθεώρει, προςέπιπτε.

μετὰ δὲ adverbialiter usurpatum exstat pg. 277. 12 βασιλείαν παρέλαβε, μετὰ δὲ καὶ (R unus habet μετὰ τοῦτο δὲ)

τὴν ἀδελφὴν Δράκοντος, qui usus non reperitur nisi apud Herodotum (III. 11; III. 39; VI. 125; VII. 12; cfr. Kühner. II. § 443. pg. 456) et apud posterioris aetatis scriptores velut apud Polybium (cfr. Kaelker. quaestt. de eloc. Polybiana Leipz. Stud. III. pg. 283).

Compluribus locis Palaephateis οἱ περί τινα formula non hominem aliquem cum comitatu suo vel comites alicuius, sed aut ipsum hominem aut sponsum cum sponsa significat, velut pg. 281. 18 ἀναιροῦσι τοὺς περὶ Ἀταλάντην (h. e. Atalanten et Melanionem); ampliores codd. exhibent: ἐξελθόντες ἐπιπίπτουσι (DM, ἐμπίπτ. R) τοῖς περὶ Ἀταλάντην καὶ ἀναιροῦσιν αὐτούς; 282. 2 ὡς οἱ περὶ Μελανίωνα καὶ Ἀταλάντην εἰς λέοντας μετεβλήθησαν; 305. 6 ἐκέλευον οὖν οἱ περὶ τὸν Ἀμφίονα (quod aut de Amphione solo aut de Amphione et Zetho intellegi potest); sine dubio etiam quae leguntur pg. 302. 3 οἱ δὲ περὶ Ἡρακλέα ἐπυρπόλουν τοὺς ἐπὶ τῷ πύργῳ τοξότας sic interpretari debemus, nam Palaephati sententia Hercules, antequam ei Iolaus cum exercitu auxilio veniret, solus pugnavit.

Si accurate omnia exempla perlustramus, quae apud Herodotum, Thucydidem, Platonem, Xenophontem[1]) exstant, cognoscimus ab his scriptoribus οἱ περί τινα formulam semper aut de comitibus aut de sociis aut de discipulis aut de toto genere hominum (velut Platon. Crat. 399 E; Menon. 99 B) adhibitam esse. Apud Aristotelem et Theophrastum (fr. I. 1) οἱ περί τινα formula ab ipso nomine vix differt, nunquam vero sic adhibetur, ut de sociis vel discipulis nullo modo cogitari possit, et formula proprio sensu plane privetur.

Huius generis exempla primum apud Polybium reperimus. (Quae Krebs, die Praepos. bei Polyb. Würzbg. 1882, pg. 103 sq. enumerat exempla, maximam partem cum prioribus exemplis congruunt). οἱ περί τινα formula non nisi ipsa persona significatur his locis: XV. 35. 6 τοὺς περὶ Ἀγαθοκλέα καὶ Διονύσιον τοὺς Σικελιώτας; XXII. 20. 7 μνημονεύοντες τῶν περὶ τὸν

---

1) Quod Dindorf ad Memorab. III. 5. 10 (τὴν τῶν θεῶν κρίσιν, ἣν οἱ περὶ Κέκροπα δι' ἀρετὴν ἔκριναν) dicit solum Cecropem intellegendum esse, errasse videtur, nam ex Apollodoro III. 14. 1 (Westerm. pg. 114 sq.) concludendum est Cecropem non solum illam deorum litem diremisse, sed una cum aliis.

Κλέοβιν καὶ Βίτωνα; XXIX. 24. 1 οἱ περὶ τὸν Λυκόρταν καὶ Πολύβιον ἐδίδασκον. Nonnullis locis οἱ περί τινα de comitibus intellegi non posse inde apparet, quod comites vel amici disertis verbis nominantur, velut V. 62. 2; X. 37. 7. Consules a Polybio saepius ita significantur ut dicat οἱ περί cum alterius consulis nomine, velut III. 106. 2 προχειρισθέντες ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Αἰμίλιον; 106. 3, 106. 4 τοῖς δὲ περὶ τὸν Γναῖον διεσάφησαν (intellegendi sunt Cn. Servilius et M. Regulus praecedentis anni consules, tum proconsules). His ex exemplis fore spero, ut appareat apud Polybium primum locutionem illam meram formulam esse factam et ita adhibitam, ut de complurium significatione multis locis omnino non possit cogitari.

Idem valet de posterioribus Polybio scriptoribus, quorum nonnulla exempla afferre liceat. Diodor. I. 37. 3 sqq. II. 25. 4; 60. 1; VII. 5. 1; Dionys. Halic. de Thuc. iud. VI. 1; LI. 3; Antt. I. 83. 3; II. 40. 2 (cfr. 38. 3; 39. 2); 50. 1; 52. 4; Strabo XIII. pg. 627 § 8. Nubes exemplorum e Plutarchi libris colligi potest, e quibus haec afferam Vitt. 95. B. 300 D. 343 D. 420 D. 530 E. 651 B. 736 F. 819 B. 877 E. 978 E, 979 B.; Mor. 268 F[1]).

§ II. a.

Nemo est, quin sciat, posterioris aetatis scriptores permultis vocabulis poetarum sermoni propriis usos esse, non ut ornatiorem redderent locutionem, sed quod poeticam illarum vocum naturam non iam sentiebant. Cuius generis verba haud pauca apud Palaephatum quoque reperiuntur.

Substantiva: αἰχμητής (pg. 280. 11) verbum est Homericum saepissime a poetis usitatum, quod apud pedestris sermonis scriptores (omissis eis locis, ubi aut Homeri verba afferuntur, aut certe ad usum Homericum alludit scriptor, velut Plato Symp. 174 C; Rep. III. 411 B; Xenoph. Mem. III. 2. 2) raris-

1) Scholiastarum et scriptorum eroticorum exempla aliquot collegerunt Valckenar. ad schol. Phoen. v. 102 et Lehrs quaestt. epicc. pg. 28 adn. (cfr. etiam Viger. pg. 7 sqq. adn.). Digni, qui commemorantur sunt loci Evang. Ioh. 11. 19 αἱ περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν (Winer § 49. i. pg. 379) et duo Heliodori loci, ubi nomini feminino praemittitur articulus generis masculini: Aethiop. I. 3; I. 8 (cfr. Guttentag. de subdito ... dial. Toxaride pg. 63).

simo legitur; unum locum Plutarcheum afferre possum Vitt. 36 B.

ἕδνον (pg. 293. 8. 10, ἕδνα eodem sensu 294. 11) in sermone pedestri primum reperimus apud Diodorum IV. 69. 3; praeterea apud Pausaniam III. 12. 2; IV, 36. 3.

ἐμπολή legitur pg. 307. 13. 14, quo loco mercis usitata significatio apta non est; exspectamus signif. „lucrum e negotiatione partum, pecunia“, quo usu ἐμπολή vocem a posterioribus scriptoribus adhibitam esse testatur Moeris (pg. 143. Pierson. ed. Koch Lips. 1830). Aristophanis quoque loco a Moeride citato posteriorem significationem inesse contendit schol. ad Acharn. v. 936: ἐμπολήν· τὸ ἀπὸ τῆς πραγματείας κέρδος. Eodem atque Palaephatus sensu vocem adhibuit Artemidor. I. 78; Dio Chrys. Or. 75; conferri potest Dio Cassius 79. 13.

ἱκέτις (pg. 304. 9) poetici sermonis est verbum a posterioris aetatis scriptoribus prosaicis haud raro usurpatum, velut Ps. Arist. oecon. 1344ª 11; Dionys Hal. Antt. IV. 62. 2; Plutarch. Vitt. 802 D; 841 F.

μῆλα eodem sensu ac πρόβατα usurpatur pg. 284. 11 16, qua significatione imprimis adhibetur ab Homero et Theocrito. Ex prosae scriptoribus primus sic adhibuisse videtur Diodorus IV. 26. 2 (Plato Rep. II. 363 C. Homericum locum affert); item Ps. Lucian. Astrol. 24. (2. 371).

ξύλοχος, quae vox legitur pg. 282. 6, non nisi apud Homerum, Apollonium Rhodium aliosque poetas reperitur.

πολεμιστής (pg. 276. 12) vox ab Homero, Pindaro Theocrito usurpata in sermone pedestri primum adhibita esse videtur in libris Maccab., velut I. 13. 10; 15. 13 (cfr. 16. 4), tum a Diodoro II. 41. 2; III. 36. 3; XIX. 20. 2. Cum vero libb. Maccab. auct. et Diodorus πολεμιστής vocem semper adiective adhibuisse videantur, Strabo substantive usurpat: XV. 1. 47 pg. 707; item Plutarchus Vitt. 360 D; 714 E. Mor. 217 C; πολεμιστὴς ἀνήρ legitur Vitt. 241 F. 470 D. 787 E. 822 A. ἵππος π. Vitt. 185 F. 303 D; cfr. etiam Lucian. Dial. deor. 20. 12 (1. 263); Salt. 21 (2. 279); bis acc. 11 (2. 803).

ὑλοτόμος (pg. 292. 2) am apud Homerum reperitur substantive (Ψ 123) et adiective (Ψ 114) adhibitum. Ex prosae scriptoribus primus adhibuisse videtur Theophrast. hist. pl. III. 9. 3; tum LXX. Sap. Sal. 13. 11.; Diodor. XIV. 42. 4; XIX. 8. 2; Strabo XV. 1. 50 pg. 708; Plut. Vitt. 509 C.

Adiectiva: ἄσημος legitur pg. 287. 4 (Βορέου παῖδες, ἀνδρὸς οὐκ ἀσήμου), sed dubitari potest, an vocabulum illud Palaephato tribuendum sit, cum DM cum vulg. exhibeant ἀσήμου, PR ἀνέμου. Mihi verisimillimum esse videtur ἀσήμου scribendum esse, primum quod ea vox in brevioribus quoque codd. exstat, tum quod ἀσήμου facile a librario aliquo, qui propius accedere ad Palaephati ingenium sibi visus est, in ἀνέμου corrigi potuit, non ἀνέμου in ἀσήμου. Quod si ἀσήμου retinemus, sensus efficitur „viri haud ignobilis", quo sensu ἄσημος primum a poetis usurpatur, velut Eurip. Ion. 8; Herc. fur. 849.

A prioribus prosae scriptoribus ita tantum vox illa adhibetur, ut significetur: non signatus, signo non instructus, velut χρυσὸς ἄσημος (Herod. IX. 41), χρυσίον ἄσημον (Thuc. II. 13). Ignobilis signif. adhibetur a Dionys. Hal. Antt. I. 3. 6; 19. 3; II. 8. 1; 35. 7; Plut. Mor. 5 B; Vitt. 232 D; Act. ap. XXI. 39; Lucian. dial. mer. 1. 1 (1. 330).

δέσμιος (pg. 272. 14) vox a poetis tragicis saepius usurpatur, praeterea in Meleagri epigr. (Anth. Pal. XII. 113). In sermone pedestri primus vocem adhibuit Polybius XV. 33. 6; XXXIII. 11. 3[1]); tum Diodorus XVIII. 66. 3; Dionys. Hal. Antt. I. 80. 3; II. 26. 4; Plut. Mor. 1091 E; Vitt. 368 C; 623 D; 950 A. Saepe in novo Test. legitur, ut Act. ap. XVI. 25. 27; XXIII. 18; XXVIII. 16. 17[2]).

εὔκαρπος pg. 284. 9 de ovibus dicitur, quae vocis significatio duobus tantum praeter Palaephateum locis reperitur. Hymn. in matr. deor. 5 et Sophocl. fr. 879 (N^2 pg. 249).

λάβρος exstat pg. 281. 7; 285. 18 (ubi DM λαμπρῷ) signif. „vehemens, rapidus", quo sensu reperitur apud poetas inde ab Homero. Praeter Herodotum VIII. 12 in sermone pedestri primus hac significatione vocem usurpavit Aristoteles μετεωρολ. 348^b 10; προβλ. 944^b 19; tum Polybius IV. 41. 6; 70. 8; XI. 24. 9; XXXIX. 9. 2; Diodorus V. 26. 3; XXXV. 113. 3; Plutarch. Mor. 663 D; 924 B. (cfr. 512 E. 550 E τὸ λάβρον).

φορός vocabulum sine dubio Palaephato vindicandum est, etsi codices discrepant. pg. 281. 7 Westerm. in textum re-

---

1) Götzeler de Polyb. eloc. diss. Wircib. 1887 pg. 7; in Schweighaeuseri lexico Polyb. vox deest.

2) Alia exempla contulit Wahl Clav. novi Test. phil. Lips. 1829. I pg. 262.

cepit ἀνέμου λάβρου καὶ σφοδροῦ ὄντος (DM φοροῦ, OR om. καὶ σφ.); 285. 18 optimi codd. consentiunt in φορῷ scriptura. Reperitur haec vox apud Aeschyl. Choeph. 813; Xenoph. Hell. VI. 2. 27; Aristot. probl. 908ª 24. Cum vero a prioribus scriptoribus hanc vocem raro adhibitam esse videamus, multo saepius a posterioribus usurpatur: Polyb. I. 60. 6 φορὸν ἄνεμον καταρρέοντα καὶ λαμπρόν (cfr. Palaeph. 285. 18 DM); XXXI. 23. 8; Diodor. XIV. 55. 2; XX. 96. 6; Strabo VI. 1. 12 pg. 262; VI. 3. 5 pg. 281; Plutarch. Mor. 5 C; 821 D; 975 A; Vitt. 426 B; 877 B; Lucian. Sat. 4 (3. 87).

Verba: βαστάζω vocabulum poeticum, quod legimus 293. 4, in oratione soluta primus adhibuisse videtur Aristoteles. Sed Rhet. 1413ᵇ 12 legimus βαστάζονται. δὲ οἱ ἀναγνωστικοί significatione plane inusitata (Bonitz in ind. Arist. per τιμῶνται explicat), ita ut non sit dubium, quin hic locus corruptus sit. Huc accedit, quod in genuinis Aristot. scriptis vox non exstat, sed in libro Ps. Arist. de mundo 400ᵇ 12. Persaepe βαστάζω apud Polybium occurrit et variis signif. 1. eodem sensu ac ferre: II. 24. 6; VIII. 7. 9; XV. 26. 3; 2. tollendi signif. I. 48. 2; XVIII. 18. 15; XXXII. 27. 4; 3. considerandi signif. VIII. 18. 4. Apud Plutarchum legitur Mor. 238 F. 318 A. 318 C; Vitt. 1074 F; persaepe ea vox in novo Test. occurrit (cfr. Wahl. l. c. I. pg. 193).

διαφημίζω (282. 1; διεφημίσαντο OR) admodum rarum est verbum. Primum reperitur apud Aratum Phaen. 221; tum apud Diodorum XXXVI. 4. 2; XVIII. 50, 1 in nonnullis codd. διαφημισθείσης pro διαβοηθείσης legitur (Dindorf διαβ. scribit); Dionys. Hal. Antt. XI. 46; Evang. Matth. IX. 31.

ἐμβατεύω pg. 303. 10 usurpatur coeundi significatione, qua non nisi in epigr. Leonidae Tarentini (Pyrrhi aequalis) legitur Anth. Pal. VII. 657. 2 (ubi ἐμβατέω forma exstat).

ματαιάζω vox, quin Palaephato vindicanda sit, non potest dubitari, cum pg. 279. 16 in ORDM exstet. Formae eius admodum variae reperiuntur (ματᾴζω Aeschyl. Ag. 995; Sophocl. Oed. R. 891). Ex prosae scriptoribus primus adhibuit Epicurus epist. 1 (Diog. L. X. 67; cfr. Usener. Epic. pg. 22. 5); praeter hunc Philo de cherub. § 10 (ed. Lips. 1828 T. I pg. 206); quod det. pot. insid. soleat § 45 (T. I pg. 311); Ioseph. B. I. VI. 2. 10; Lucian. luct. 16 (2, 929); schol. ad Aristoph. Plut. 676.

πυρπολέω pg. 302. 3 et 304. 7 nihil aliud potest significare, nisi „aliquem igne admoto urgere". Cum accusativo personae duobus tantum praeter Palaephateos locis hanc vocem coniunctam repperi: Aristoph. Thesm. 727 et Anaxil. ap. Athen. XIII. 558 B.

Apud Homerum πυρπολεῖν significat „ignem accendere" (Od. κ 30); eodem sensu a Xenophonte Cyrop. III. 3. 25 adhibetur. Cum accus. coniunctum signif. „igne vastare" ut ap. Herod. VIII. 50; Aristoph. Nubb. 1497. Saepe hac signific. a posterioribus scriptoribus adhibetur, ut Polyb. III. 82. 10; Diodor. XIV. 100. 2; XX. 80. 4. Plutarch. Vitt. 116 C; 215 E; 459 A; 719 A. Mor. 194 B.

σαίνω (pg. 273. 3) vox est a poetis saepissime usitata, quam primus in prosa adhibuit Aristoteles Metaph. 1090^a 37; prorsus geminum Palaephati loco exemplum exstat Ps. Arist. π. θαυμ. ἀκουσμ. 840^b 5 et Lucian. fugit 16 (3. 374); d. deor. 12. 2 (1. 234); conferri potest Polyb. XVI. 26. 6 (ubi de homine dicitur).

συμφθείρω; pg. 269. 19 propter optimorum codd. consensum (ORDM) sine dubio scribendum est καὶ τὰ ὑποζύγια συνέφθειραν. Hoc verbum non solum significat „simul perdo" sed etiam „plane corrumpo" ut διαφθείρω. Primum legitur in Euripid. Andr. 947, tum apud Polybium VI. 5. 6; Plutarch. Mor. 997 A. (436 B. de coloribus mixtis adhibetur; 708 E. de hominibus eisdem moribus praeditis); Lucian. Prom. 5 (1. 31).

b.

Substantivum: μυθογράφος (pg. 289. 7) primum reperitur apud Polybium IV. 40. 2; tum apud Diodorum I. 23. 8; III. 66. 4; IV 26. 2 aliisque locis; Dionys. Hal. Antt. I. 34. 4; 58. 3; Plutarch. Mor. 731 F. Vitt. 1 B. Ab Atticis eodem sensu adhibetur μυθοποιός vel μυθολόγος.

Adiectiva: ἀδιάλειπτος, quod adverbiali forma legimus pg. 302. 1 invenitur apud Ps. Timaeum π. ψυχῆς καὶ φύσιος § 5 (Mullach FPhG II. pg. 42), quo ex loco nihil colligi potest. Re vera igitur verbum illud non adhibitum videtur ante Polybium IX. 3. 8; praeterea exstat Maccab. I. 12. 11; Diodor. III. 12. 6; 14. 3; Plutarch. Mor. 106 E; 121 E; nov. Test. ad Rom. IX. 2; 2. Tim. I. 3. In titulo quoque Flaviorum aetate

non antiquiore (sec. Boeckh.) hoc vocabulum legitur CIG II. 2583.

ἀνομίλητος· pg. 268. 2 exstat ἀνομίλητοι σοφίας καὶ ἐπιστήμης, quibus verbis significantur „sapientiae ac prudentiae expertes", quo sensu hanc vocem adhibitum reperimus ap. Ps. Platon. ep. VII. 332 c., quae epistula tertio a. Chr. saeculo orta esse videtur [Imitatus est hunc locum Aristaenet. Epist. II 5][1]).

περίχωρος praeter Palaephati locum (pg. 285. 13) saepius in vet. et nov. Test. reperitur. Usitatissima est locutio ἡ περίχωρος (sc. γῆ) velut Genes. XIII. 10; Deuteron. III. 14; Esther. IX. 12; Iudith. III. 8. Acta ap. XIV. 6; Luc. III. 3; IV. 37; Matth. XIV. 35. Praeterea vocabulum legimus apud Plutarchum Vitt. 351 E; 593 A; 735 B.

προςχώριος pg. 292. 4 in omnibus codd. (291. 18 Westerm. scribit προςχώριοι, sed cum OR praebeant ἐγχώριοι, P ἐπιχώριοι hunc locum pro exemplo afferre non possumus). Praeter Palaephateum unum, quod sciam, certum huius vocis exemplum repertum est apud Strabon. XV. 1. 70 pg. 719[2]).

συνέκδημος (pg. 307. 15) vocabulum raro et apud posteriores tantum scriptores legitur, velut apud Plutarchum Vitt. 1068 D; Mor. 100 E; praeterea N. T. Acta ap. συνεκδήμους Παύλου saepius.

φιλοκύνηγος (pg. 273. 15) primum reperitur apud Diodorum IV 45. 2, praeterea Ps. Eratosth. catast. c. 42 (p. 266. 18 West.); Ps. Plut. Parall. 310 F; Diog. Laert. II. 56. Schol. ad Eurip. Phoen. 1169. (Apud Xenophontem de venat. XII. 11 legimus οἱ φιλοκυνηγέται).

Verba: διακολυμβάω (pg. 290. 3) ante Polybium non usurpatur. Exstat Polyb. V. 46. 8; Maccab. I. 9. 48; CIG II.

---

1) Aliud huius usus exemplum reperire non potui; vox omnino rarissimo usurpatur a scriptoribus. Apud Platon. legg. XII pg. 951 A. ἀνομίλητος πόλις ea est, quae aliarum usum non habet; Plutarch. Vitt. 235 B. Mor. 50 B. τὸ ἀνομίλητον de moribus adhibetur; Lucian. de merc. cond. 14 οὐκ ἀνομίλητος οἰκέτης.

2) Apud Pausaniam II. 18. 1, quamquam in omnibus codd. legitur προςχωρίων, tamen recte L Dindorf προςχώρων scripturam restituisse videtur, cum excepto loco IX. 40. 9, ubi unus codex praebet προςχωρίους, semper πρόςχωρος apud Pausaniam legatur (cfr. III. 14. 3; VI. 22. 2; VII. 21. 2; X. 35. 5).

2347 c. versu 29, qui titulus Boeckhii sententia propter piratas commemoratos in Pompei fere tempora incidit (CIG II. pg. 278).

διαλαμβάνω verbum, quod pg. 269. 3 legitur, duplicem in modum adhibitur: aut locali sensu dirimendi, dividendi aut translata significatione diiudicandi, deliberandi, existimandi. Illo sensu omnibus temporibus a scriptoribus graecis usurpatur, hoc, quo etiam Palaephati l. l. adhibetur, ante Aristotelem adhibitum non esse videtur; cfr. π. ζώων μορ. 665^a 31; [Polit. 1323^a 40 Bekker^3 et Susemihl sec. Lambinum pro διαλαμβάνειν scribere malunt λαμβ.]. Multa eius usus exempla reperiuntur apud Polybium; III. 6. 6; IV. 25. 1; VI. 41. 2 (cfr. etiam II. 42. 7; IV. 5. 10; XVIII. 45. 7); praeterea Maccab. II. 5 11; Diodor. I. 94. 2. II. 32. 1; IV. 26. 3; XVI. 68. 5; Lucian. Nigr. 26 (1. 66).

διανήχομαι (pg. 293. 3) primum reperitur apud Dionysium Hal. Antt. I. 35. 2; II. 55. 2; V. 24. 3: tum apud Apollodorum II. 5. 10 (pg. 59. 6 West.); Plutarch. Vitt. 498 A. Mor. 1103 E. Saepius legitur apud Lucianum, velut Cat. 18 (1. 640); Tox. 40 (2. 548) et 39 (2. 547); Alex. 48 (2. 254); Luct. 3 (2. 924).

ἱστορέω apud Palaephatum saepius (pg. 286. 13; 292. 18; 305. 1) significat „tradere, narrare", quo sensu a posterioris aetatis scriptoribus passim usurpatur, cum apud priores significatione inquirendi vel explorandi tantum hanc vocem adhiberi constet (cfr. Palaeph. pg. 269. 8). Narrandi notionem in genuinis Aristotelis scriptis nusquam habet ἱστορεῖν; quattuor, quibus haec significatio subest, loci in scriptis omnium consensu Aristoteli abiudicatis reperiuntur: π. θαυμ. ἀκουσμ. 833^a 12; π. κόσμου 395^b 16; 396^a 20; φυσιογν. 818^b 28. Ne apud Theophrastum quidem narrandi signif. adhibetur, ut Stephanus in lexico iudicavit, nam Hist. pl. IV 13. 1 explorandi notio subest.

Itaque dicendum est ἱστορεῖν non ante Polybium tradendi vel narrandi signif. usurpatum esse; cfr. Polyb. I. 13. 7; IV. 47. 2; IX. 36. 2 (cfr. etiam I. 13. 9 ἐφάπτεσθαι τῶν ἤδη προιστορημένων ἑτέροις). Permulta huius usus exempla e Diodoro colligi possunt, velut I. 9. 5; 15. 2; 31. 9; 46. 8; 95. 1; II. 20. 3; III. 2. 1; IV. 54. 2 etc. Dionys. Hal. de Thuc. iud. VI. 2; Antt. I. 23. 5; 32. 1; 73. 4; II. 8. 3 etc. Apud Plutarchum et Lucianum saepe talia exempla reperiuntur.

καταντάω verbum, quod legitur pg. 282. 6 ante Polybium non reperitur; nam etsi in Aristot. fr. 13 legimus καταντᾶν εἰς τοὺς προκειμένους λιμένας (1476ª 26), tamen huius verbi usum Aristoteli tribuere non debemus, cum primum in ipsis Aristotelis scriptis καταντᾶν non legatur, tum in fragm. illo Aristotelis nomen omnino non exstet. Polybiana exempla haec sunt: III. 11. 4; 91. 1; IV. 1. 8; 34. 2; VI. 4. 12; 9. 10; IX. 1. 5; X. 37. 3; XIV. 1. 9; XXX. 11. 3; XXXIII. 18. 9. Quae exempla si perlustramus, cognoscimus a Polybio καταντᾶν nunquam proprio locali, sed semper translato sensu adhibitum esse. Propria significatione usurpatur Maccab. II. 4. 21; 4. 44 (6. 14 cum Polyb. locis conferri potest). Apud Diodorum sensu mere locali persaepe reperitur, velut III. 27. 3; 34. 7; IV. 52 4; 60 4; 67. 2; 72. 7; 83. 6; XXXVI. 4. 2; translato sensu I. 37. 7; 72. 2. Plutarcheum exemplum non repperi, sed in novo Test. exstat καταντᾶν Act. ap. XVI. 1; XVIII. 19; XXI. 7.

κυνηγέω in omnibus codd. exstat pg. 281. 14; pg. 274. 4 DM habent κυνηγοῦντι, cett. κυνηγετοῦντι, pg. 281. 19, ubi Westerm. scribit συγκυνηγετοῦντες, in R legimus συγκυνηγοῦντες; pg. 282. 5 et 282. 7 in omnibus codd. reperitur κυνηγετέω forma. Quae cum ita sint, a Palaephato et κυνηγέω et κυνηγετέω formam usurpatam esse verisimile est. κυνηγέω forma (ut etiam κυνηγός: cfr. Lobeck. Phryn. pg. 432) inde ab Aristotelis aetate increbuisse videtur; legitur Aristot. π. ζώων ἱστ. 619ª 33 (in libro IX, qui spurius habetur); Ps. Plat. Ep. VII. 349 B; Diodor. IV. 84. 4; Plutarch. Vitt. 194 B; 281 D; Mor. 917 E; 965 B. 966 A (sed Vitt. 431 B. exstat κυνηγετούντων). Alia exempla affert Lobeck l. c.

λειποθυμέω, (pg. 289. 2) primum reperitur apud Theophrastum fr. X. 1 (Wimmer vol. III. pg. 149), tum apud Dioscoridem π. ὕλης ἰατρικῆς III. 30 (Kühn Medici Graeci XXV. pg. 377). λιποθυμέω forma exstat ap. Athen. VII 297 A (e Nicandri Aetolicis fr. 2. Schn. pg. 19. 20). Saepius apud Plutarchum hoc verbum occurrit, ut Mor. 694 C; Vitt. 117 C; 841 F; 995 E[1]). Apud priores scriptores eodem sensu λειποψυχέω adhibetur.

μνηστεύομαι pg. 292. 9 et 287. 13 de viro adhibetur,

---

1) Apud Iosephum A. I. VIII. 15. 5, ubi legebatur λιποθυμήσας, Niese cum duobus codd. scribit λιφαιμήσας.

qui puellam in matrimonium petit, cum ex usu communi de puella, quae despondetur, μνηστεύεσθαι, de viro μνηστεύειν vel μνᾶσθαι dicatur (cfr. Hesych. μνᾶται· μνηστεύει; Thom. Mag. ἐπὶ ἀνδρὸς τὸ μνᾶται· οἷον μνᾶται γυναῖκα· ἐπὶ δὲ γυναικὸς τὸ μνηστεύεται· οἷον μνηστεύεται ἀνδρί). Eodem, quo apud Palaephatum modo, saepius μνηστεύομαι a posterioribus scriptoribus adhibetur, velut Maccab. I. 3. 56; Diodor. IV. 79. 3 et 4 (sed IV. 54. 2 μνηστεῦσαι τὴν παρθένον; 63. 4 μνηστεῦσαι Περσεφόνην legimus); Apollod. bibl. I. 4. 3 (West. pg. 7. 8); (pg. 14. 23); I. 9. 12 (pg. 22. 9); I. 9. 15 (pg. 23. 28): Plutarch. Vitt. 451 A; Mor. 774 E. 775 C. Quod cum tam saepe de viris μνηστεύεσθαι esset dictum, factum est, ut a schol. ad Od. α 39 et 248 et a Suida μνᾶσθαι explicaretur per μνηστεύεσθαι (cfr. Fischer. ind. vv. graec. ed. VI).

περιελαύνω saepius a Palaephato adhibetur significatione cogendi vel abigendi ut pg. 284. 13; 288. 5 et 9; pg. 303. 3 Westerm. cum codd. scribit πρὶν περιελεῖν τὰς βοῦς, nec vero dubium est, quin pro περιελεῖν περιελάσαι scribendum sit, ut in P codice legitur [περιελᾶσαι].

Cuius usus apud Atticos scriptores nullum reperimus vestigium; Polybius vero eodem sensu compluribus locis medialem formam adhibuit: I. 40. 15; IV. 29. 6; 59, 1; V. 94. 4; VIII. 26. 8; passivum legitur V. 95. 10. Prorsus gemina Palaephateis exempla exstant apud Dionysium Hal. Antt. IX. 20 (pg. 1796. 1 et 1797. 1); conferri potest Lucian. Tox. 39 (2. 547).

περικαθίζω scribendum esse pg. 304. 6 ex PDM codd. consensu concludendum est (vulg. παρακαθίσας); hoc verbum a posterioribus tantum scriptoribus usurpatur, ut LXX Reg. IV. 6. 24; Deuteron. 20. 12; Maccab. I. 6. 19; 11. 61; Appian. Hisp. c. 53.

προςαναπλάσσω apud Palaephatum saepius reperitur raro consentientibus codd. pg. 276. 17; 282. 20; 284. 17 (RD om. προσανεπλάσθη); 286. 2; 292. 6 (R ἀνεπλάσθη, P ἐπλάσθη); 297. 17 (DM ἀνεπλάσθη, P om. totum enunt.); 301. 1 (P ἐπλάσθη); 304. 23 (R ἀνεπλ., P om. totum enunt.); 306. 2 (P καὶ ὁ μῦθος ἐντεῦθεν); 307. 17 (R ἐκ τούτων οὖν ὁ μῦθος, P ἐξ οὗ ὁ. μ.)[1]). Praeterea reperitur in libello π. ὕψους (qui

---

1) Mirari licet, quod in cod. P nusquam προςαναπλάττειν verbum legitur.

Augusti vel Tiberii aetati tribuendus esse videtur) VII. 1 et apud Cornutum de nat. deor. c. 34. Alia recentiorum scriptorum exempla collecta sunt in Stephani thesauro.

πυριάω in fab. XLIV. (quae in cod. P prorsus alia atque in cett. forma exstat, cfr. pg. 25) saepius legitur: pg. 306. 8 ἐπυρία (R ἐπυρίαζε): 9 πυριῶσα (DM πυρῶσα); 11 πυριώμενοι 14. πυριώμενος; [in P non nisi v. 14 πυρριώμενος reperitur]. Medicorum est verbum, quod reperitur apud Dioscoridem π. ὕλης ἰατρ. IV. 154 (Kühn vol. XXV. pg. 643).

συναπαίρω (pg. 277. 14) primum adhibitum esse videtur ab Aristotele π. τὰ ζῶα ἱστ. 597^b 16; tum a Diodoro V. 49. 2; 59. 2; Lucian. bis accus. 27 (2. 825); Tox. 18 (2. 526) aliisque locis.

ὑποτάσσομαι apud Palaephatum significat „parere ut subiectum, oboedientem vel subordinatum esse“ pg. 301. 10 in OR ὑπετάττοντο (P ὑπήκουον); v. 11 ὑποτετάχθαι in omnibus codd. [pg. 272. 11 in amplioribus codd. exstat ὑπήκουε].

Hoc sensu ὑποτάσσομαι ante Polybium non videtur usurpari; nam quod Aristot. frg. 392 (1543^a 13) legimus φύλαρχος ὑποτεταγμένος τῷ ἱππάρχῳ, ipsi Aristoteli ὑποτεταγμένος formam tribuere vix possumus, praesertim cum nullo alio Aristotelis loco verbum illud hac sententia adhibeatur. (In Ἀθηναίων πολιτεία nuperrime reperta locus non exstat). Quod apud Plutarch. Vitt. 526 A in Phrynichi versu ὑποταγείς formam legimus, quam Meineke interpretatur „timidus et demisso animo“, ne ex hoc quidem loco de Phrynichi comici vel omnino de Atticorum usu quidquam concludere licet[1]).

Quae cum ita sint ea exempla sola restant, quae a Polybio incipiunt, ut III. 13. 8; X. 19. 7; 24. 3; eodem sensu adhibitum reperimus apud Diodorum I. 55. 10; 70. 5; III. 5. 2; IV. 68. 2; Hal. Antt. II. 13. 3; 14. 4; in novo Test. Petr. ep. I. 3. 1; ad Tit. II. 9; III. 1; Plutarch. Mor. 213 C; 737 E. Epictet. diss. IV. 4. 33.

---

1) Kock (FCG I. pg. 395 ad frg. 59) Meinekio recte opposuit neque eam aoristi formam neque significationem Atticis usitatam esse. Solus locus, quo praeterea exstat ταγείς forma (Eurip. fr. 989 N^2), Nauckio adeo suspectus esse videbatur, ut in altera editione ἐπὶ τούτῳ ταγείς verba Euripidi tribui posse negaverit.

Nonnulla addam verba, quae aut apud Palaephatum solum reperiuntur, aut ea, qua a Palaephato adhibentur significatione, alibi non leguntur.

παρέψησις (pg. 306. 10) ab ipso Palaephato fictum esse apparet:

σκαφίς (pg. 281. 4) significat lintrem parvam, cum alibi semper vasculi significatione adhibeatur;

τραγικώδης (pg. 303. 16, sed P habet τραγικός) praeter Palaephati locum nusquam legi videtur;

δύσπιστος pg. 293. 3 eodem sensu adhibetur, quo alibi ἄπιστος „cui fides vix habeatur", cum δύσπιστος significet eum, qui alii diffidit. Stephanus huius inusitatioris significationis unum praeterea exemplum affert Constant. Man. chron. pg. 58 B. Fortasse etiam apud Dion. Chrys. vol. I. pg. 236. Dind. eiusmodi exemplum habemus, ubi Dindorf pro δυσπιστότερα — δυσπειστότερα scribit.

Iam vero quid ex eis, quae adhuc disputata sunt, de Palaephati aetate concludendum sit, breviter comprehendamus. Cum in exiguo de incredibilibus libello, qualis nunc exstat, plus quadraginta formae et voces reperiantur, quae apud solutae orationis scriptores aut certa significatione aut omnino non ante Aristotelis aetatem increbuerint, non potest dubitari, quin post illa tempora liber περὶ ἀπίστων inscriptus ortus esse debeat Ac quamquam in libri fragmento mutilato et excerpto, quod ad nostram pervenit aetatem, nonnulla ab epitomatore illata esse posse haud negaverim, tamen satis magno argumentorum numero omnes dubitationes removeri mihi persuasi.

Accuratius vero libelli Palaephatei aetatem inde definiri posse puto, quod persaepe libelli auctoris usum dicendi cum eo sermone congruere vidimus, qui Polybii aetate in consuetudinem venerat. Quae cum ita sint, sine ulla dubitatione contendere ausim librum Palaephateum de incredibilibus inscriptum aut Polybii aetate aut post eam compositum esse, sed ante secundum a. Chr. saeculum ortum esse non posse. Qua re demonstrata cum omnes aliorum sententiae a me initio opusculi mei allatae concidant, singulas refellere opus non est.

Caput IV.

Enucleato ex ipso libello termino, post quem libelli auctorem scripsisse oportet, circumspicere debemus, num forte aetatem, ante quam Palaephatus scripserit necesse est, ex aetate aliorum scriptorum, qui libelli Palaephatei mentionem faciunt, constituere possimus.

Sed ne hac quidem in quaestione satis firmo fundamento stare possumus. Eckstein (l. l.) protulit sententiam a ceteris longe distantem libelli auctorem ante finem tertii vel initium quarti p. Chr. saeculi non scripsisse, cum antea certa eius mentio non fieret. Sed Ecksteinium sententiam suam non satis perpendisse statim apparebit. Hoc quidem ei concedendum est nullo modo demonstrari posse Apollodorum et Diodorum Siculum Palaephati libro usos esse, id quod hariolatus erat Ios. Scaliger (in Cirin pg. 51). Apollodorus omnino historicae fabularum interpretationis nulla praebet vestigia, et quae Diodorus affert Palaephato similia (cfr. Diod. IV. 26. 2 sqq. cum Pal. fab. XIX; IV. 47. 3 cum fab. XXXI; IV. 70. 1 cum fab. I; IV. 76. 3 et 77. 5 cum fabb. XXII. et XIII.), ex Palaephati opere, cuius nusquam mentionem fecit Diodorus, hausta non sunt. Nec magis inde, quod Dionysii Mitylenaei sive Scytobrachionis interpretatio (cfr. Müller. FHG II. pg. 8 fr. 5), aliquam cum Palaephatea similitudinem habet, quidquam de ea, quae inter Palaephatum et Dionysium intercedat, ratione concludi potest.

Ne Ciris quidem v. 87 argumento nisi contendere possumus Palaephatum ante Ciris auctorem, h. e. ante Augusti aetatem (cfr. Schwabe-Teuffel, Gesch. d. röm. Litt.[5] pg. 501. 2) scripsisse, cum Palaephati nomen e coniectura tantum in illo versu exstet. Utcunque de illo loco iudicamus, argumento nullo modo uti debemus.

Difficillimum est iudicium de Athenionis comici fragmento, quod servavit Athenaeus XIV. pg. 660 E. οὐκ ἀπεικότως δὲ καὶ Ἀθηνίων ἐν Σαμόθρᾳξιν, ὥς φησιν Ἰόβας, μάγειρον εἰςάγει φυσιολογοῦντα διὰ τούτων· sequuntur triginta fere versus, quibus coquus aliquis de arte sua gloriatur, cum dicat sola arte culinaria homines ex antiquissimorum temporum miseriis et bar-

barie ad vitam hominibus dignam perductos esse. Hoc loco interrumpit eius orationem alia comoediae persona hisce verbis:

καινὸς γάρ ἐστιν οὑτοσὶ Παλαίφατος[1]).

Si igitur Palaephatus ille idem est ac libelli de incredibilibus auctor, eum ante Athenionem vixisse colligendum est. Quo vero tempore Athenio floruerit, accurate definire non possumus; hoc tantum pro certe affirmari potest eum ante Iubam Mauretaniae regem vel ante Augusti aetatem vixisse[2]).

Iam inquirendum est, num revera ad libelli de incredibilibus auctorem Athenionis verba referenda sint, id quod iam Eustathius opinatus est (ad Odyss. XIX. pg. 1859. 43 sqq. Παλαιφάτου δὲ μέμνηται καὶ Ἀθήναιος, ἔνθα μαγείρου σοφιζομένου καὶ τὴν οἰκείαν τέχνην ἀποσεμνύνοντος ἔφη τὸ καινὸς οὑτοσὶ Παλαίφατος κτλ.). Eadem est sententia Casauboni (ad v. 27) et Kockii, qui FCG III. pg. 371 ad v. 27 adnotat: Palaephato coquum comparat, ut incredibilia narrantem et ad priscorum hominum mores pertinentia. Quae Festa (pg. 32 sqq.) ex Athenionis versu elicuisse sibi videtur, infra examinabo.

Sed quamvis arrideat opinio verbis illis Palaephatum libri de incredibilibus auctorem significari, tamen mea quidem sententia adeo non certa est, ut ne hoc quidem loco argumento uti possimus ad Palaephati aetatem definiendam. Nam praeterquam quod coqui narratio, qua priscorum hominum rudes mores arte culinaria lenitos esse exponit, cum Palaephati libello, quo poetarum et logographorum fabulationes ad veritatis speciem reducere studet, vix quidquam similitudinis habet, omnino multo

---

1) Veterum editorum coniecturas ad hunc locum prolatas collegit Casaubonus ad Athen. Meineke FCG IV. pg. 560 proposuit καινὸς πάρεστιν, quam coniecturam Kock FCG III. pg. 371 secutus non est.

2) Quod Müller FHG III. pg. 482 sq. suspicatur Athenionem apud ipsum Iubam degisse eundemque esse atque eum, cuius mentio fit apud Athen. VIII. pg. 343 E., coniectura admodum dubia et incerta est, cum nusquam hic Athenio, cuius discipulus Leonteus Argivus poeta tragicus fuit, comicus fuisse dicatur (cfr. Schweighaeus. adn. ad h. l. Tom. IV. pg. 561). Praeterea, ut Festa quoque (pg. 31. adn. 3) observavit, Mülleri sententia falsa est, cum non Athenio, sed Leonteus οἰκέτης γενόμενος Ἰόβα dicatur.

Schweighaeuseri opinionem eandem eiusdem Athenionis Σαμόθρᾳκες fabulam a schol. ad Apoll. Rhod. I. 915 significari Meineke (FCG I. 489) refutavit.

verisimilius esse videtur Athenionis verba ad Palaephatum illum antiquissimum Atheniensem, qui secundum Suidam ante Homerum exstitit, referenda esse, cuius inter opera — ficta sine dubio — etiam κοσμοποιία nominatur, cuius generis opus comici illius menti obversatum esse potest. Quam sententiam si acceperimus etiam verborum lusus καινὸς — Παλαίφατος multo elegantior fiet.

Cum vero ne ex Athenionis quidem fragmento quidquam lucrari potuerimus, certa libelli περὶ ἀπίστων inscripti mentio nobis occurrit in Theonis progym. c. VI (pg. 221. W.), ita ut ante Theonem vixisse Palaephatum concludendum sit. Sed ut adhuc summis in difficultatibus versati sumus, ita hic quoque difficultates oriuntur, cum de Theonis aetate adeo non consentiant vv. dd., ut alii eum secundo, alii quinto p. Chr. saeculo floruisse contendant. Quorum omnium sententias collegit Hoppichler in diss. Wircib. 1884: de Theone Hermogene Aphthonioque progymnasmatum scriptoribus pg. 21. Ex eis, quae ipse protulit (pg. 27 sqq.) apparet Theonem ante Hermogenem vixisse, quem Marci Aureli temporibus floruisse constat. Itaque Theo post medium secundum saeculum fuisse non potest.

Hoppichler accuratius etiam Theonis aetatem definire conatus Augusti temporibus eum floruisse suspicatus est. Quam opinionem coniecturis tantum incertis, ut ipse H. sensit (pg. 35), nisam eo minus sequi voluerim, quod ex Aelio cognomine Theonis (cfr. Suidam s. v.) concludendum esse videtur eum Hadriani aetate floruisse (cfr. Pierson. in Moerid. praef. pg. XXXIV. et XXXV.; Christ. Handb. VII² pg. 625. 6).

Hoc igitur mea quidem sententia pro certo affirmari potest Palaephatum libelli περὶ ἀπίστων auctorem post Hadriani aetatem vixisse non posse.

Ad eundem fere terminum Probi, qui fertur, commentarii loco (in Verg. Georg. III. 113. pg. 60 Keil) ducimur, ubi prima Palaephati fabula affertur. Quem commentarium, qua nunc exstat forma, Probi Berytii non esse certum videtur; quo conscriptus sit tempore, vix unquam enucleari poterit (cfr. Kübler. de M. Valerii Probi Beryt. comment. Verg. diss. Berol. 1881). Quod etsi concedimus, non labefactatur Iahnii observatio (prolegg. in A. Persii Flacci librum Lips. 1843. pg. CXLII.) ex scriptoribus omnibus, qui sat multi in commentario laudantur, nullum esse, quem post Probi aetatem vixisse constet. Quod si re vera ita

se habet, Palaephatus quoque post Neronis tempora libellum suum conscripsisse non potest.

Novissimi ex eis, qui in commentario nominantur, quorum quidem aetas constet, sunt Asconius Pedianus (pg. 7. 7); Gaetulicus (pg. 38. 12), Persius (pg. 97. 7); de aliorum aetate nihil constat. Fuerunt, qui Iahnii sententiam refellere studerent, cum Aemilium Asprum, qui ter (pg. 15. 24; 19. 9; 92. 11) nominatur, post Probum floruisse demonstrare conarentur. Omnes eiusmodi sententiae collecta sunt a Lämmerhirtio (Comment. phil. Ienens. vol. IV. 1890 pg. 401 sqq.), qui evincere studuit Asprum aut aequalem fuisse Frontonis aut post eum scripsisse. Sed quae profert, plane nullam probabilitatis speciem habent. Itaque cum nemo adhuc demonstraverit Asprum post Probum vixisse, atque omnes, quorum quidem aetatem accurate noverimus, scriptores in Ps. Probi commentariis nominatos ultra Flaviorum imperatorum aetatem non vixisse constet, Palaephatum quoque libelli περὶ ἀπίστων inscripti auctorem ante illa tempora vixisse concedendum est.

Fortasse longius etiam procedere et inde, quod ultimi, quos Theo in progymnasmatis nominat auctores, ultra Augusti tempora non vixerunt (Hoppichler. pg. 35), concludere nobis licet Palaephatum quoque post Augustum non fuisse.

Caput V.

Quamquam intra ducentorum fere annorum spatium Palaephati aetatem inclusimus, ita ut aliquid saltem certi constituerimus, tamen ea re non plane contenti longius procedere conemur.

Artioribus finibus ut Palaephati aetatem circumscriberemus, nobis contingeret, si libri de incredibilibus auctorem cum Palaephato illo, qui Τρωικά scripsit, cuius operis nonnulla exstant fragmenta, coniungere liceret. Hoc quoque opus cui tribuendum esset, iam Suidae auctor nescivit. Müller vero, qui FHG III. pg. 573 ad Philon. fr. 10 dicit: Palaephatum, qui de rebus mythicis earumque interpretatione varia scripsit, Troicorum auctorem fuisse, et Christ (l. c. VII[2] pg. 476), qui scribit: „Wahrscheinlich war unser Palaephatus, der ein Zeitgenosse des Eu-

hemerus gewesen zu sein scheint, auch Verfasser einer Specialschrift über die troische Landschaft (Τρωικά)", quod demonstrandum est potius quam demonstratum protulerunt. Quid iudicandum sit de Palaephati Troicis, ut appareat, conferam, quaecumque de hoc opere eiusque auctore cognosci possunt.

Palaephati Troicorum primus, quantum scimus, mentionem fecit Demetrius Scepsius, id quod apparet e Strabone XII. 3. 22 pg. 550: ἐπαινεῖ δὲ (scil. ὁ Σκήψιος) μάλιστα τὴν Ἑκαταίου τοῦ Μιλησίου καὶ Μενεκράτους τοῦ Ἐλαΐτου τῶν Ξενοκράτους γνωρίμων ἀνδρὸς δόξαν καὶ τὴν Παλαιφάτου .... et paulo infra pg. 551. ὁ δὲ Παλαίφατός φησιν ἐξ Ἀμαζόνων τῶν ἐν τῇ Ἀλόπῃ οἰκούντων, νῦν δὲ ἐν Ζελείᾳ, τὸν Ὅδιον καὶ τὸν Ἐπίστροφον στρατεῦσαι (cfr. etiam Strabon. XII. 3. 23 pg. 552). Quod si Palaephatus a Demetrio Scepsio laudatus est, apparet eum post Demetrium h. e. post alterum secundi a. Chr. saeculi dimidium (cfr. Strabon. XIII. pg. 609) opus suum conscripsisse non posse. De Troicis illo Strabonis loco agi ex Alope et Zeleia commemoratis concludendum est.

Liceat mihi fragmenta Palaephatea, quae ad Troica referenda sunt, et ea, quae quo pertineant, minus certum est, hic enumerare atque examinare (cfr. Müller. FHG II. pg. 338. 339).

frg. 1.

Steph. Byz. s. v. Χαριμάται· ἔθνος πρὸς τῷ Πόντῳ· Παλαίφατος ἐν ἑβδόμῳ Τρωικῆς (scil. περιηγήσεως; fortasse corrigendum in Τρωικῶν Müll.). Κερκεταίων ἔχονται Μόσχοι καὶ Χαριμάται ⟨οἳ⟩ τοῦ Παρθενίου κρατοῦσιν εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον [1]).

frg. 2.

Harpocrat. s. v. Μακροκέφαλοι· Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ ὁμονοίας· ἔθνος ἐστὶν οὕτω καλούμενον, οὗ καὶ Ἡσίοδος μέμνηται ἐν γ' γυναικῶν καταλόγῳ. Παλαίφατος ἐν ζ' Τρωικῶν ἐν τῇ †Λιβύῃ φησὶν ὑπεράνω Κόλχων οἰκεῖν τοὺς Μακροκεφάλους.

frg. 3.

Harpocrat. s. v. Δυσαύλης· Δείναρχος ἐν τῇ περὶ τῆς ἱερείας διαδικασίᾳ, εἰ γνήσιος. Ἀσκληπιάδης δ' ἐν δ' Τραγῳδουμένων τὸν Δυσαύλην αὐτόχθονα εἶναί φησι, συνοικήσαντα δὲ Βαυβοῖ σχεῖν παῖδας Πρωτονόην τε καὶ Νίσαν. Παλαί-

1) Omnes coniecturas ad hoc frg. prolatas repetere nolo; cfr. Müllerum et Meinekium Steph. Byz. pg. 688, qui quo iure dicat: „Ionice scripsisse Palaephatum etiam aliunde constat", nescio.

φατος δ' ἐν θ' (Bekker in α' mutare voluit, cum in uno codice legatur πρώτῃ) Τρωικῶν σὺν τῇ γυναικί φησιν αὐτὸν ὑποδέξασθαι τὴν Δήμητραν.

frg. 4.

Strabonis locus supra allatus (cfr. Eustath. in Iliad. II. pg. 363. 24).

Magna cum probabilitate ad Troica referenda sunt haec fragmenta a Müllero omissa:

frg. 5.

Eustath. in Iliad. II. pg. 326. 4: Παλαίφατος δέ, φασιν, ἱστορεῖ, ὅτι Αἰνείας ἀνεῖλε τὸν Πρωτεσίλαον (cfr. Dictyn II, 11).

frg. 6.

Servius (Dan.) ad Aen. III. 80: hunc tamen Anium Palaephatus etiam propinquum tradit Anchisae.

frg. 7.

Servius (Dan.) ad Aen. III. 8: quamvis Palaephatus tradat capto Ilio Aeneam post triennium navigasse 1).

Praeterea exstat fragmentum Palaephateum, quod quo referendum sit, haud perspicuum est:

frg. 8.

Schol. ad Eurip. Medeam v. 830: περὶ δὲ τοῦ τὰς Μούσας ἐν τῇ Ἀττικῇ ἱδρῦσθαι ἀρκεῖ τὰ Παλαιφάτου. Quod fragmentum ad Troica referendum non esse, non potest inde concludi, quod Atticae res tanguntur, cum etiam in certo Troicorum fragmento 3. de fabula Attica agatur.

De Palaephati Troicis ex certis fragmentis (1.—4.) haec cognosci possunt: Scripta sunt aut Demetrii Scepsii aetate aut antea, certe septem fuerunt libri, fortasse novem. Opus continebat res geographicas, sed non regiones Troicae solae tractabantur, nam libri septimi duo supersunt fragmenta, in quibus gentes prope Caucasum montem ad litus Ponti Euxini habitantes commemorantur, e libro nono (sec. Bekkerum primo) fragmentum servatur, quod ad res Atticas pertinet.

Iam vero si recte frg. 5. 6. 7 Troicis adscribenda esse consui, — ac quis dubitaverit, quin res de Aenea narratae

1) Quae duo fragmenta a Servio servata ad Palaephatum iuniorem grammaticum referenda esse iam Ch. G. Heyne (in edit. Vergil. [3] Vol. II. exc. I. ad lib. II. pg. 362) suspicatus est.

optime quadrent in librum Τρωικά inscriptum — fortasse longius etiam progredi licet sine hariolationis crimine. Cum vel inde, quod Demetrius Scepsius eius operis mentionem iniecit, haud prava esse sententia videatur librum Palaephateum aliqua certe ex parte similes atque Demetrii opus res complexum esse, haec suspicio augetur, si frg. Palaeph. 5. conferimus cum Demetrii frg. 75 (sec. Gaedium Dem. Sceps. quae supersunt; diss. Gryphisw. 1880). Schol. vet. Marcian. ad Lycophr. v. 529 (edid. G. Kinkel) haec adnotat:

ἱστορεῖ δὲ Σοφοκλῆς ἐν Ποιμέσιν ὑπὸ τοῦ Ἕκτορος ἀναιρεθῆναι τὸν Πρωτεσίλεων. ὁμοίως δὲ καὶ Δημήτριος ὁ Σκήψιος παρ' Ὁμήρῳ γράφεσθαι (B. 701): ‚τὸν ἔκτανε φαίδιμος Ἕκτωρ (Δάρδανος ἀνὴρ Homeri codd.) νηὸς ἀποθρώσκοντα'.

E frg. 5. videmus Palaephatum ipsum quoque ea de re disputasse, quinam in illo Iliadis versu intellegendus sit Δάρδανος ἀνήρ[1]), et de Aenea cogitasse.

Aliud Palaephati studiorum Homericorum vestigium reperimus in frg. 4, ubi Palaephatus Ephori coniecturam (cfr. Strabon. XII. 3. 21 pg. 550) recepisse verisimile est.

Sed videamus, num forte, post quem terminum Palaephati Troica orta esse videantur, cognoscere possimus. E Suidae lexico comperimus hunc quoque librum, ut opusculum de incredibilibus, et Palaephato Atheniensi et Pario et Aegyptio tributum esse. Cum de Atheniensi omnino cogitari non possit, hoc fortasse demonstrare posse mihi videor ne Palaephato Pario quidem, qui Artaxerxis temporibus vixit, hunc librum tribui posse. E Demetrii Scepsii frg. 45. (Gaede) fortasse de Palaephati aetate aliquid conicere licet, nam bis ad eosdem scriptores provocat eosque bis eodem ordine affert: Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, Μενεκράτης ὁ Ἐλαΐτης, Παλαίφατος. Coniectura haud absona esse videtur Demetrium, ut erat homo diligentissimus, e temporum ratione scriptores enumerasse, ita ut Palaephatus post Menecratem vixisse debeat. Menecratem vero, quippe qui discipulus fuerit Xenocratis, qui a. 339 — 315. Academicorum σχολάρχης fuit, Ptolemaeo Lagi filio regnante floruisse manifestum est (cfr. Müller. FHG II. 342). Itaque Palaephatus quoque Troicorum auctor ante tertii a. Chr. saeculi initium floruisse non videtur.

---

1) Cui quaestioni quam multi incubuerint, apparet e schol. ad Il. 701 (Dind. I. 127).

Quae omnia si recte a me disputata sunt, Palaephatus is, qui Troica conscripsit non esse potest Parius ille a Suida nominatus ac relinquitur e Palaephatis Suidianis solus ille Aegyptius incertae aetatis grammaticus, cui librum περὶ ἀπίστων tribuendum esse infra accuratius demonstraturus sum.

Palaephatum eum, qui de incredibilibus librum conscripsit, etiam de rebus geographicis, quas in Troicis tractatas vel certe commemoratas esse supra vidimus, egisse veri haud dissimile esse videtur, si respicimus sat multis servati opusculi Palaephatei locis res geographicas commemorari easque ex parte aliunde non notas, velut pg. 285. 3 ἦν δὲ τῆς †ἀχαρνίας (OR; ἀχρονίας DM) τῆς νῦν Ὀρεστιάδος καλουμένης; pg. 295. 15 sqq.; pg. 298. 8 ὥσπερ νῦν οἱ Πατηριάται† παραξίθοοι (quae verba in P solo leguntur, sed ob ipsam obscuritatem ab interpolatore profecta esse non possunt); pg. 301. 9 adn. ORP ἦσαν δὲ πόλεις τότε ἄργος, μυκήνη, τυρήνη (τυρρήνη P; sec. Westerm. fort. τίρυνς scrib.) λέρνη (om. P); aliaque minoris momenti.

Quae cum ita sint, ex eis, quae adhuc de Palaephati aetate protulimus, certum est libelli περὶ ἀπίστων auctorem neque multo ante Polybii aetatem neque post Flaviorum imperatorum tempora scripsisse; item certum est Palaephatum eum, qui Troica conscripsit, post Demetrium Scepsium h. e. post alterum secundi a. Chr. saeculi dimidium non floruisse; ante tertii a. Chr. saeculi initium eum non vixisse verisimile est.

Caput VI.

Iam videamus, cuinam ex Palaephatis quattuor illis a Suida commemoratis libellus περὶ ἀπίστων inscriptus tribuendus esse videatur (cfr. Flach. Hesych. Miles. onomat. quae supersunt pg. 158 sqq. n. DCIII—DCVI; Festam pg. 29 sqq.).

De primo Palaephato, de quo seorsum acturus sum, haec traduntur (correctis eis, quae corrigenda esse censeo):

Παλαίφατος Ἀθηναῖος ἐποποιός, υἱὸς Ἀκταίου καὶ Βοιοῦς, οἱ δὲ Ἰοκλέους φασὶ καὶ Μετανείρας, οἱ δὲ Ἑρμοῦ ⟨καὶ Θαλείας⟩. γέγονε δὲ κατὰ μέν τινας κατὰ Φημονόην, κατὰ δὲ ἄλλους καὶ πρὸ αὐτῆς· ἔγραψε δὲ κοσμοποιΐαν εἰς ἔπη ‚ε,

Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος γονάς ἔπη ,γ, Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος φωνάς [καὶ λόγους] ἔπη ,ε, Ἀθηνᾶς ἔριν καὶ Ποσειδῶνος ἔπη ,α, Λητοῦς πλόκαμον.

Priusquam ad singula examinanda transeam, emendationum rationes reddam:

οἱ δὲ Ἑρμοῦ ⟨καὶ Θαλείας⟩ καὶ Θ. inseruit Eckstein (l. c.) recte sine dubio (nec tamen quisquam eum secutus est); nam si antea semper patris matrisque nomina afferuntur, hoc quoque loco matris nomen desideramus. De Thalia Palaephati matre infra fusius disputandum erit.

γέγονε ...... κατὰ Φημονόην] Si cum codd. scribimus μετὰ Φ. omnino accuratam aetatis significationem non habemus. Vix potest dubitari, quin hoc quoque loco μετὰ et κατὰ praepositiones commutatae sint, quae apud Suidam tam saepe in codd. commutantur [1]).

Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος φωνὰς [καὶ λόγους]] Tradita verba recte se non habere, cum φωνάς idem sit ac λόγους, iamdudum senserunt vv. dd.; Gronovius proposuit Ἔρωτος γονάς, sed multo verisimilius est λόγους non nisi interpretamentum esse e margine in contextum illatum.

Huius Palaephati nomen, personam, opera plane ficta esse primo statim adspectu unusquisque intelleget. Nomen habet a natura sua, quod de rebus vetustissimis locutus esse et antiquissimis temporibus vixisse dicebatur [2]).

Paucis tantum praeter Suidam locis huis Palaephati mentio fit, sed quae comperimus, sufficiunt ad imaginem eius compo-

---

1) cfr. s. v. Δίκτυς, ubi pro μεθ' Ὅμηρον Gutschmid correxit καθ' Ὅμ.; s. v. Διονύσιος Μιλήσιος, ubi nemo iam dubitat, quin τὰ μετὰ Δαρεῖον in τὰ κατὰ Δ. corrigendum sit; s. v. Ποτάμων Ἀλεξανδρεύς, ubi pro γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτόν Rohde (Mus. Rhen. XXXIII. pg. 166 adn. 1) proposuit κατ' αὐτόν, quam scripturam Flach recepit.

2) παλαίφατος vox apud Homerum significat: quae iam multo ante dicta sunt, velut παλαίφατα θέσφατα (Od. IX. 507; XIII. 172), quam locutionem Pindarus quoque et tragici saepius adhibuerunt; praeterea apud Homerum significat: de quo vetus est fama: Od. XIX. 163 οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐστι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης (Etym. M. s. v. δρυὸς παλαιφάτου· τῆς ἐκ παλαιῶν χρόνων πεφημισμένης ὡς ἀνθρώπων γεννητικῆς; schol. ad Od. XIX. 163 παλαιφάτου· παλαιὰ φατιζομένης, περὶ ἧς παλαιὰ μυθεύεται; Suidas s. v. δρυὸς παλαιφάτου· παλαιᾶς καὶ ἀρχαίας· περὶ ἧς ἔφασαν ἔκπαλαι μύθους).

nendam. Thaliae filius appellatur ab Apollodoro (in schol. ad Rhes. v. 347.) et in schol. ad Il. X. 435. (pg. 295. Bekk.; I. pg. 364. Dind.), quocum loco consentit Eustathius (in Il. X. pg. 817. 30). De Apollodoro infra locuturus sum.

Cum deae filius et dei dicatur Palaephatus, apparet eum antiquissimorum temporum hominibus adnumeratum esse. Idem concludendum est ex Suidae verbis γεγονὼς κατὰ μέν τινας κατὰ Φημονόην, κατὰ δὲ ἄλλους καὶ πρὸ αὐτῆς. Phemonoe (cfr. Strabon. IX. 3. 5 pg. 419; Plinium N. H. X. 3. 37; Pausan. X. 5. 7) prima Apollinis Pythii sacerdos fuisse et hexametrum versum, multis nimirum annis ante Homerum, invenisse dicebatur. Quod Palaephati aetas ex Phemonoes aetate definitur, ex eo concludendum est eum vatem antiquum putatum esse, ad quam opinionem efficiendam Homericam locutionem παλαίφατα θέσφατα multum valuisse Festa (pg. 32. 33) recte suspicatus esse mihi videtur.

Eandem Palaephati naturam etiam e parentibus, qui ei tribuuntur, cognoscere possumus. Boeo, cuius filius dicebatur, ipsa quoque antiquissimis temporibus vixisse et carmine sacrorum Delphicorum institutionem descripsisse existimabatur (cfr. Plin. l. c.; Paus. l. c.; Etymol. M. s. v. ἔλεγος)[1].

Fuerunt quoque sec. Suidam, qui Palaephatum Ἰοκλέους filium appellarent. Quisnam hic fuerit Iocles, priusquam inquiram, de nominis forma pauca dicam. Omnibus fere locis, ubi hoc nomen nobis occurrit, aut codices in scribendo discrepant, aut editores a codicum scriptura recedunt[2]. Mea quidem sententia Ἰοκλῆς non tam corruptela est Οἰκλῆς nominis, ut putat Dindorf, sed alia eiusdem nominis forma.

Sine dubio is Oicles vel Iocles, cuius filius Palaephatus fuisse dicebatur, pater fuit Amphiarai; cfr. Odyss. o 243 sq.

---

1) Cui poetriae — si Philochorum audimus, poeta fuit Boeus — Athenaeus IX. pg. 393 E. opus ὀρνιθογονία inscriptum tribui testatur, quem librum Alexandrinorum temporibus fictum (Knaack Analecta Alexandrino-Romana diss. Gryph. 1880 pg. 2 sqq.) Antoninus Liberalis saepius adhibuit.

2) Schol. ad Od. XI. 326, ubi codd. habent Ἰοκλέους, editores scribunt Οἰκλέους, item in Eurip. Suppl. v. 925, Diodor. IV. 68. 5, in schol. ad Phoen. v. 133 et 173 (ubi in optimo codice Marciano ἰοκλέους legitur); cfr. quae dicit Dindorf ad Soph. frg. 415 b. in edit. Oxon.[3] pg. 95.

et schol. ad Odyss. XI. 326 et schol. in Phoen. v. 173, ubi hoc stemma exstat:

Ζεύς
|
Ἕλλην
|
Ἀμυθάων
|
Μελάμπους — Ἄρης
| |
Ἀντιφάτης — Θυέστης
| |
Οἰκλῆς — Ὑπερμνήστρα
|
Ἀμφιάραος.

Cum vero Amphiaraus divina mente praeditus fuerit, alterum quoque eiusdem patris filium, Amphiarai fratrem, Melampodis pronepotem, vaticinandi arte clarum fuisse concludendum est. Itaque hinc quoque cognoscimus Palaephatum illum vatem esse putatum.[1])

Alii parentes Palaephato antiquissimo ideo tribuebantur, quod Atheniensis fuisse dicebatur, quam ob ipsam causam etiam carmen Ἀθηνᾶς ἔρις καὶ Ποσειδῶνος operibus eius inserebatur. Actaeus et Metanira in fabulis Atticis saepius nobis occurrunt. Ille primus Atticae rex fuit (cuius nomen ap. Harpocrat. s. v. Ἀκτή Ἀκταίων forma exstat); eum αὐτόχθονα putatum esse et terrae nomen dedisse (Ἀκτική — Ἀττική) legimus in Marm. Par. initio et apud Steph. Byzant. s. v. Ἀκτή.

Metanira Celei, Eleusinorum regis uxor erat, quae Cererem hospitaliter excepit et Demophontis filii nutricem adscivit (cfr. hymnum in Cererem; Paus. I. 39. 1; Nonni Dionys. XIX. v. 80 sqq.). Fieri potest, ut a Suida alia Metanira significetur, cum haec cum Iocle Palaephatum peperisse dicatur, illa Celei uxor, honestissima mulier, fuerit; sed hanc sententiam non cogimur accipere mea quidem opinione, cum Suidae loco ex libidine fabularum personae coniunctae esse videantur.

---

1) Secundum Diodorum IV. 32. 3 etiam Amphiarai filius Oicles commemorabatur, sed verisimilis est Palmerii coniectura hoc loco Ἀντιφάτου pro Ἀμφιαράου legendum esse.

Prorsus alius est Iocles, cuius a scholiasta in Eurip. Phoen. 133. facta est mentio; nomen eius in genealogia admodum diversa ab Amphiarai ia legitur (Festa pg. 33 adn. 3).

Iam quaeri potest, quo tempore antiquissimi huius vatis fama orta sit. Qui primus eius mentionem facit, Apollodorus est (apud schol. ad Rhes. v. 347). Nec vero is est, qui bibliothecam conscripsit, ut Vater (in Dindorfii edit. scholl. in Eurip. I. pag. 30) opinabatur, cum apud hunc (I. 3. 2—4) prorsus alia de Musarum filiis narrentur, sed Apollodorus Atheniensis, Asclepiadis filius, Panaetii et Aristarchi discipulus (Knaack l. l. pg. 2 adn. 2). Quod ad opus doctissimi illius grammatici fragmentum pertineat, certum non est; fortasse in libris περὶ θεῶν de Musarum filiis verba fecit. Cum vero Apollodorus Atheniensis Palaephatum antiquissimum una cum aliis vetustissimorum mythorum personis commemoraverit, non debet dubitari, quin Palaephatus quoque in veteribus fabulis locum tenuerit. Nam Apollodorus, doctissimus ille vir, personam haud multo ante fictam inter antiquissimorum temporum homines, Musarum filios, sine dubio non enumeravisset.

Haec dicenda sunt contra Festae opinionem, qui pg. 34. contendit ad Palaephatum epicum et vatem fingendum multum valuisse Palaephati eius, qui libellum de incredibilibus conscripsit, personam et ingenium. Cum hic omnium fabularum veram formam verumque argumentum sese cognosse adfirmaret, quasi ipse adfuisset, poetas comicos antiquissimum illum Palaephatum commentos esse eumque finxisse iamdudum ante Homerum ipsis temporibus fabulosis vixisse. Festa igitur putat Palaephatum vetustissimum non nisi Palaephati libelli de incredibilibus auctoris esse personam a comicis ridiculum in modum ad antiquissima tempora translatam. Quam opinionem Apollodori testimonio refutari ex eis, quae supra exposui, apparet.

Sed cum concedendum esse videatur Palaephatum epicum iam in antiquis fabulis Atticis exstitisse ac non fictum esse a comicis, de operibus, quorum inscriptionibus Festa sententiam suam confirmari putat, aliter iudicandum est. Opera omnia sub nomine eius allata ficta et commenticia esse vix quisquam negaverit.[1]) Quo vero tempore operum illorum inscriptiones fictae sint — nam inscriptiones tantum fictas esse, ipsorum carminum ne unum quidem versum unquam exstitisse mihi quoque persuasum est —, ex ipsis cognosci posse intellexit Gutschmid (apud Flach.

1) cfr. Bergk. Griech. Litt. I. pg. 405 n. 270; Hiller. Mus. Rhen. vol. XXXIII. pg. 522.

l. c.; cfr. etiam Knaack. l. l. pg. 2 adn. 2), qui monuit opera huic epico attributa post mediae comoediae aetatem et post Callimachum orta vel potius ficta esse debere. Carminis inscriptionem Λητοῦς πλόκαμον ante Callimachi aetatem fictam esse non posse certum videtur. Post mediae comoediae aetatem necessario aliorum Palaephati carminum famam ortam esse putat Gutschmid, quod Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος γοναί, quod epici illius carmen fuisse dicitur, Philisci quoque comoediae titulus est, cuius aliae comoediae inscribuntur Διὸς γοναί et Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναί. Praeterea aliorum illius aetatis comicorum similes fabularum inscriptiones exstant (Meineke hist. crit. pg. 278 sqq.). Sed hoc quoque fieri potest, ut operum Palaephateorum inscriptiones non secundum illas comicorum fabulas fictae, sed ad eadem exempla referendae sint: carmina dico epica, quae a comicis irridebantur. Ad hunc antiquissimum Palaephatum Athenionis comici verba referenda videri supra (pg. 46 sqq.) exposui.

Fuit igitur, ut breviter sententiam meam comprehendam, antiquissimus ille Palaephatus vates et poeta epicus fabulosus, quem apud Apollodorum Atheniensem (c. 150—100 a. Chr.) primum commemoratum reperimus (nisi forte — id quod satis verisimile est — Athenionis verba antiquiora sunt), quem autem iam multo ante in fabulis Atticis exstitisse verisimillimum est. Statuam eius Christodorus (Anthol. Pal. II. v. 36. 37; I. pg. 24 Dübner) sic describit

δάφνῃ μὲν πλοκαμῖδα Παλαίφατος ἔπρεπε μάντις
στεψόμενος, δόκεεν δὲ χέειν μαντώδεα φωνήν[1]).

Operum huic Palaephato tributorum inscriptiones omnes posterioribus temporibus fictae sunt. Etiam de incredibilibus librum et Troica huic Palaephato Atheniensi a nonnullis tributa esse e Suidae verbis apparet.

Iam transgrediamur ad ceteros, quos Suidas affert Palaephatos (Festa pg. 34 sqq.; Flach l. c.):

I. Παλαίφατος Πάριος ἢ Πριηνεύς, γεγονὼς κατὰ Ἀρταξέρξην. ἀπίστων βιβλία ε΄· τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθηναῖον ἀναφέρουσι· πλὴν καὶ οὗτος ἔγραψε.

---

1) Bothe ad h. l. recte adnotat: Christodorus vatis statuae aut poetae alicuius lauro coronati et anonymi Palaephati nomen coniectura vanissima dederit.

II. Παλαίφατος Ἀβυδηνὸς ἱστορικός. Κυπριακά, Δηλιακά, Ἀττικά, Ἀραβικά. γέγονε δὲ ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, παιδικά δὲ Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου, ὡς Φίλων ἐν τῷ ε′ στοιχείῳ τοῦ περὶ παραδόξου ἱστορίας βιβλίου α′ καὶ Θεόδωρος ὁ Ἰλιεὺς ἐν β′ Τρωικῶν.

III. Παλαίφατος Αἰγύπτιος [ἢ Ἀθηναῖος] γραμματικός. Αἰγυπτιακὴν θεολογίαν, μυθικῶν βιβλίον α′, λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων, ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην, Τρωικά, ἅ τινες εἰς τὸν Ἀθηναῖον, τινὲς δὲ εἰς τὸν Πάριον ἀνήνεγκαν. ἔγραφε καὶ ἱστορίαν ἰδίαν.

De singulorum locorum scripturis quae afferenda videntur, haec sunt: ad I. Πάριος ἢ Πριηνεύς] Gutschmid coniecit olim scriptum fuisse Παριηνεύς collato Steph. Byz. s. v. Πάριον. Gutschmidii opinione hic Palaephatus neque Parius fuit neque Prienensis, sed Parii natus, in oppido ad Hellespontum sito, cuius incolae et Πάριοι et Παριανεῖς (in duobus Steph. Byz. codd. Παριηνεύς) appellabantur. Quae coniectura si modo vera est, rectius mea quidem sententia scriberetur: Πάριος ἢ Παριηνεύς (id quod Gutschmid voluisse videtur), nam etiam sub Palaephati Aegypt. nomine Palaephatus Parius nominatur, ita ut hanc vocem prorsus e Suidae nota I. eliminare nullo modo liceat. Fieri autem potest, ut omnino hoc loco coniectura opus non sit, necessaria certe non est. Quae Gutschmid et post eum Festa hac coniectura aliisque haud magis probabilibus nisi sibi construxerunt, ea paula infra examinabimus.

Sub finem huius glossae aliquid excidisse cum arbitrarentur Bernhardy et Flach, ille post verba πλὴν καὶ οὗτος ἔγραψε supplet περὶ παραδόξου ἱστορίας, Flach lacunam indicat. Recte cognovit Gutschmid ἄπιστα intelligendum, nihil supplendum esse[1]).

ad II. Totam vitam e Ptolemaei Hephaestionis nova historia vel ex simili opere fluxisse suspicatus est Hercher (Nov. Ann. phil. Suppl. I. 1855 pg. 286 adn. 22), quod Παλαίφατος

1) Prorsus geminus locus exstat s. v. Μόσχος Συρακούσιος, γραμματικός, Ἀριστάρχου γνώριμος· οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος ποιητὴς μετὰ Θεόκριτον τὸν τῶν βουκολικῶν δραμάτων ποιητήν. ἔγραφε καὶ αὐτός (coniecturas ad hunc locum prolatas collegit Flach). Mea quidem sententia hoc quoque loco operis inscriptio ex verbis praecedentibus intellegenda a Suida omissa est. Ad verba ἔγραψε καὶ αὐτός mente supplenda sunt verba βουκολικὰ δράματα.

Ἀβυδηνός et Θεόδωρος ὁ Ἰλιεύς nomina, quae nusquam alibi legerentur, itemque Philonis cuiusdam παράδοξος ἱστορία fictionis signum prae se ferrent. Sed minus caute Hercherum iudicasse probavit Rohde (Mus. Rhen. vol. XXXIV. pg. 561 adn.), cum ostenderet Philonem hoc loco nominatum non esse Heracleotam, ut putaverat Westermann (paradoxogr. pg. XXXVI.), sed Byblium (cfr. Müller. FHG I. pg. 564. § 6). Iam vero cum ad Philonis Byblii notissimi scriptoris auctoritatem provocet glossae auctor, re vera tale quid a Philone traditum fuisse necesse est; nec vero ipsam rem narratam veram esse credere debemus.

Theodori Iliensis apud Servium ad Aen. I. 28 mentionem fieri recte fortasse suspicatus est Müller (FHG IV. pg. 513).

ad III. Αἰγύπτιος [ἢ Ἀθηναῖος]] ἢ Ἀθ. verba ferri non posse inde cognosci licet, quod hic Palaephatus verbis ἅ τινες εἰς τὸν Ἀθηναῖον, τινὲς δὲ εἰς τὸν Πάριον ἀνήνεγκαν diserte distinguitur a Palaephato aliquo Atheniensi. Festa (pg. 37), cum ipse quoque hoc intellexisset, verba εἰς τὸν Ἀθηναῖον τινὲς δὲ ut supervacanea removenda esse censuit, nam Parium et Atheniensem hoc loco nominatum eundem esse putat.

λύσεις] exhibent codd. Pariss., rell. codd. λίας, unde Eudociae falsarius ἀλληγορίας effecit. λύσεις, quam lectionem post Kusterum omnes editores receperunt, eo confirmatur, quod Theo, cum de libro Palaephateo loquatur ἐπιλύειν verbo utitur ad libri naturam significandam (ἐν ᾧ τὰ τοιαῦτα ἐπιλύεται). Quo Theonis loco collato hoc quoque dubitari non poterit, quin λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων inscriptione Palaephati liber περὶ ἀπίστων inscriptus significetur. Ne μυθικῶν βιβλίον α′ quidem aliud opus esse videtur, ac verisimillimum est μυθικῶν βιβλίον α′ inscriptionem altera λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων illustrari.

His praemissis primum Gutschmidii et Festae opiniones refutare conabor, tum quid ipse de Suidae glossis iudicandum, praecipue cuinam ex Palaephatis illis servatum opusculum tribuendum censeam, expositurus sum. Gutschmidii coniecturis nisus Festa id operam dedit, ut plurima ex eis, quae sub trium illorum Palaephatorum nominibus afferuntur, ad unum eundemque Palaephatum referenda esse demonstraret. Quam sententiam ut refellere possim, singula argumenta a Gutschmidio (apud Flach. l. c.) prolata examinanda mihi sunt.

Primum Gutschmid contendit Suidae verba sub Palaeph. Abyd. allata γέγονε — Τρωικῶν ad Palaeph. Par. transferenda esse; nam quod legatur sub Palaeph. Par. γεγονὼς κατὰ Ἀρταξέρξην, idem tempus significari putat atque verbis sub Palaeph. Abyd. exstantibus γέγονε ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, παιδικὰ δὲ Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου. Artaxèrxem enim hoc loco nominatum esse Artaxerxem III. Ochum, qui regnavit a. 358—338. Idem protulit opinionem hunc Palaephatum Parianum, qui Aristotelis amasius fuisse narrabatur, Aristotelem Atarnei (a. 347—344) versantem cognosse et cum eo a. 334. Athenas revertisse, unde a nonnullis Atheniensis esset appellatus (s. v. Παλαιφ. Παρ.: τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθηναῖον ἀναφέρουσι).

Quam Gutschmidii sententiam ne probem, multae obstant causae. Nam primum demonstrari potest Artaxerxem a Suida hoc loco nominatum non esse Ochum sed Mnemonem. Suidam saepius quibusdam temporum spatiis insignibus aetatem virorum clarorum, quos enumerat, significare inter omnes constat. Velut eorum, qui sexto a. Chr. saeculo aut antea fuerunt, tempora ita circumscribit, ut ad Lydorum reges usque ad Croesum provocet. Inde ab his temporibus saepius Persarum reges ad aetatem definiendam adhibet: Cyrum, Darium Hystaspis f., Xerxem, Artaxerxem Mnemonem[1]).

Nullius vero ex eis, qui ineunte et medio quarto a. Chr. saeculi fuerunt, aetas Persarum regis aetate circumscribitur, sed si ad regis alicuius tempora aetas refertur, Macedonum reges Philippus et Alexander nominantur[2]).

Itaque concedendum est eum quoque Artaxerxem, qui a Suida s. v. Παλαιφ. Παρ. nominatur, Mnemonem esse non Ochum.

1) cfr. Suid. s. v. Ἀνακρέων Τήιος, Ἀναξίμανδρος Ἀναξιμάνδρου Μιλήσιος; Ἑκαταῖος Ἡγησάνδρου Μιλήσιος; Ἡράκλειτος Βλύσωνος ἢ Βάκτορος; Κτησίας Κτησιάρχου ἢ Κτησιόχου Κνίδιος; Λᾶσος Χαβρίνου Ἑρμιονεύς; Σώφρων Συρακούσιος.

2) Velut Philippi temporibus, ut exemplo utar, horum aetas declaratur: Ἀναξανδρίδας — ἐν τοῖς ἀγῶσι Φιλίππου τοῦ Μ.; Ἔφορος Κυμαῖος — πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας; Καρκῖνος Θεοδέκτου — πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας; Πύρρων Πλειστάρχου — ἐπὶ Φιλίππου τοῦ Μ.; Σωσιφάνης — ἐπὶ τῶν τελευταίων χρόνων Φιλίππου; Τιμόθεος — καθ' οὓς (sc. χρόνους) καὶ Φίλιππος ὁ Μ. ἐβασίλευεν; Φιλητᾶς Κῷος — ἐπί τε Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου; Φίλιππος Ὀπούντιος — κατὰ Φίλιππον.

Iam videamus, quid iudicandum sit de Gutschmidii coniecturis apud Flachium prolatis. Palaephati Parii aetas eadem atque ea, quae s. v. Παλ. Ἀβυδ. legitur, esse non potest, nam Artaxerxes ille est Mnemon. Item concidit opinio Gutschmidii Palaephatum Parium Parii in oppido ad Hellespontum sito natum esse eumque Aristotelem cognosse. Nititur ea coniectura verbis παιδικὰ δὲ Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου, quae a verbis praecedentibus seiungi non possunt et maximam commenti suspicionem movent.

Quae cum ita sint, ex eis, quae s. v. Παλ. Ἀβυδ. leguntur, nihil spectare ad Palaeph. Parium, ac Gutschmidii opinionem omnibus argumentis egentem reiciendam esse nemo negabit.

De Palaephato Abydeno libri περὶ ἀπίστων auctore omnino cogitari non posse compluribus de causis apparet. Primum enim huic Palaephato neque illud opus neque Τρωικά apud Suidam tribuuntur; tum Gutschmid suspicatus est opera huic Palaephato tributa fabulas Romanenses esse (cfr. Flach. l. l. addend. et corrig. pg. LXX.), quae opinio maximam veri similitudinem habet. Nam ἱστορικός a Suida saepius de fabularum Romanensium conditoribus usurpatur[1]). Praeterea inscriptionibus operum, quae sub Palaephati Abydeni nomine afferuntur, Gutschmidii sententia valde confirmatur (cfr. Rohde l. l. pg. 346 et 347 adn. 1). Itaque nihil obstat, quominus cum Gutschmidio Palaephatum Abydenum fabularum Romanensium scriptorem fuisse rati huius non amplius rationem habeamus. Festae sententiam, qui pg. 38 Palaephatum Parium et Abydenum eandem fuisse personam contendit, cum Abydus oppidum haud longe absit a Pario, ita ut Palaephatus modo Parianus modo Abydenus appellatus esse possit, fusius refutare non est opus.

Quid iudicandum sit de eis, quae Philo et Theodorus Iliensis tradunt, difficile est dictu. Verisimile mihi videtur haec esse ficta, nec vero a Philone aut Theodoro sed ab ipso Palaephato Abydeno, ut auctoritatem suam augeret[2]). Eum Alexandri

1) cfr. s. v. Ξενοφῶν Ἐφέσιος; Ξ. Ἀντιοχεύς; Ξ. Κύπριος; Φίλιππος Ἀμφιπολίτης; Ποσειδώνιος Ὀλβιοπολίτης, cuius Ἀττικαί ἱστορίαι et Λιβυκά fabulas eroticas fuisse recte putat Gutschmid; cfr. Rohde Der Griech. Rom. Leipzig 1876 pg. 346.

2) Omnino mos fuit fabularum Romanensium scriptorum, ut eos, qui legebant, de sua ipsorum vita et condicione certiores facerent, velut Antonius Diogenes et Iamblichus (Rohde l. l. pg. 251 et 361 sq.).

Magni aetate vixisse credere non debemus, ipsum nomen, ut apud fabb. Rom. conditorem fictum esse potest; ut iamdudum vv. dd. suspicati sunt scriptores illos tres eroticos, quibus nomen est Xenophon, hoc nomen sibi assumpsisse, non tam ut verum nomen occultarent, quam ut nomine claro omnibusque noto maiorem scriptis suis auctoritatem adsciscerent (Rohde l. c. pg. 346 adn. 2; pg. 394 sqq.). Idem eodem iure de Palaephati Abydeni nomine conici potest.

E Palaephato Aegyptio Gutschmid omnia inde a verbis μυθικῶν βιβλίον α′ usque ad glossae finem ad Palaephatum Parium referenda esse censuit μυθικῶν βιβλίον α′ a libro περὶ ἀπίστων non diversum esse ratus, cum non respiceret verba ἅ τινες — ἀνήνεγκαν plane sensu cassa esse, si sub Palaephati Parii nomine leguntur; praeterea ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην cui potius tribuantur, quam grammatico?

Ita Festae quoque hariolationes concidunt, qui Palaephatos Parium, Abydenum, Atheniensem iuniorem (quem ex verbis s. Παλ. Παρ. τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθηναῖον ἀναφέρουσι et s. Παλ. Αἰγυπτ. ἅ τινες εἰς τὸν Ἀθηναῖον, τινὲς δὲ εἰς τὸν Πάριον ἀνήνεγκαν sibi finxit Gutschmid et quem non diversum esse opinatus est a Palaephato Pario sive Pariano) eundem hominem esse arbitratus Suidae glossas ita conformandas esse contendit, ut praeter hunc principalem Palaephatum relinquatur Palaeph. Atheniensis vetustissimus et Aegyptius grammaticus, cui sec. Gutschmidium et Festam Αἰγυπτιακὴ θεολογία sola restat (Festa pg. 38 sqq.).

Quibus opinionibus refutatis videamus, quomodo rectius de Palaephatis a Suida commemoratis iudicandum videatur. Quod si inquirimus, quisnam auctor fuerit et Troicorum et operis de incredibilibus inscripti, Palaephatum Abydenum de causis supra (pg. 62) allatis plane omittere possumus.

Restant tres Palaephati, quibus opera illa tribui possint: Atheniensis vetustissimus, vates et poeta epicus, homo plane fabulosus; Parius sive Prienensis, qui Artaxerxis Mnemonis temporibus vixit; Aegyptius grammaticus, cuius aetatem, quamquam non indicatur, paulo accuratius circumscribere possumus. Consentaneum enim est grammaticum Aegyptium Graeco nomine non ante Alexandri Magni tempora exstare potuisse.

Ex tribus his Palaephatis cuinam et liber περὶ ἀπίστων et Τρωικά tribuenda essent, iam Suidae auctor nesciebat. Nam

sub Palaephati Parii nomine afferuntur ἀπίστων βιβλία ε', quos libros ab aliis Atheniensi tribui legimus (vetustissimo illi poetae, ut Fabricius iam intellexit, nam alter Palaephatus Atheniensis non fuit). Idem opus etiam grammatico Aegyptio tribuebatur, cuius sub nomine Suidas affert μυθικῶν βιβλίον α', λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων (cfr. pg. 11.).

Eandem sortem alteri operi obvenisse inde cognosci potest, quod sub Palaephati Aegyptii nomine Τρωικά allata reperimus, quo loco additur opus illud ab aliis Atheniensi, ab aliis Pario tribui. Hoc igitur dicendum esse videtur: Sub Palaephati alicuius nomine circumferebatur opus de incredibilibus inscriptum et Troica, sed ex diversis Palaephatis notis cuinam re vera tribuenda essent opera cum non constaret, omnibus deinceps Palaephatis excepto eo, quem fabularum Romanensium scriptorem esse constabat, utrumque opus tribuebatur.

Qua cum librorum Palaephateorum sorte conferri potest fortuna, quam περιήγησις οἰκουμένης sub Dionysii alicuius nomine circumlata habuit. Cuius operis verus auctor cum notus non esset, apud Suidam περιήγησις οἰκουμένης ex duodecim Dionysiis nominatis et Dionysio Corinthio et Milesio et Rhodio vel Samio tribuebatur.

Quodsi quaerimus, quisnam re vera libelli de incredibilibus inscripti auctor fuisse videatur, de Aegyptio grammatico solo cogitare possumus. Nam Atheniensis ille neque potest esse auctor, neque is, qui librum conscripsit, se illum esse simulare voluit, cum alios posteriorum temporum viros nominet, quorum auctoritatem sese secutum esse dicit. De Pario cogitare ideo non possumus, quod quarto a. Chr. saeculo ineunte vixisse traditur, cum opusculum περὶ ἀπίστων ante secundum a. Chr. saeculum scriptum esse non posse e verborum usu et dicendi genere concludendum sit. Si grammaticus ille Aegyptius, cuius aetatem Suidas non indicavit, operis Palaephatei, cuius adhuc fragmentum servatur, auctor est, aetatem eius accuratius sic definire possumus, ut dicamus eum neque multo ante Polybii aetatem neque post Flaviorum imperatorum tempora floruisse. Certe autem Palaephatum Aegyptium libelli illius auctorem esse alio quoque argumento confirmare posse mihi videor.

Inter grammatici huius opera reperimus ὑποθέσεις εἰς Ἰωνίδην, unde apparet Palaephatum Aegyptium operam suam

in Simonidis carminibus collocasse, cuius rei vestigium in servato de incredibilibus libro me repperisse puto. Ex schol. ad Hesiod. Theog. v. 313 (Bergk FLG[4] Simonid. frg. 203) cognoscimus hydrae Lernaeae secundum Simonidem quinquaginta fuisse capita (τὴν ὕδραν Ἀλκαῖος μὲν ἐννεακέφαλόν φησι, Σιμωνίδης δὲ πεντηκοντακέφαλον), quae res confirmatur Servii verbis ad Verg. Aen. VI. 575 (ac belua Lernae: quam alii tria volunt habuisse capita, alia novem, Simonides quinquaginta dicit)[1]). Cum vero praeter Simonidem nemo, quod sciamus (cfr. Roscheri lexic. mythol. s. v. Hydra), nisi Palaephatus in libro de incredibilibus cap. XXXIX. quinquaginta fuisse hydrae capita tradiderit, verisimile est libri περὶ ἀπίστων auctorem hanc notitiam ex aliquo Simonidis carmine accepisse et in suum ipsius opus transtulisse.

Τρωικά quoque Palaephato Aegyptio tribuenda esse verisimillimum videtur. Huius operis auctorem ipsum quoque post quartum a. Chr. saeculum vixisse, quibus de causis apparere videatur, supra (pg. 52) exposui. Hoc nemo poterit negare Troica post Demetrii Scepsii Τρωικὸν διάκοσμον scripta esse non posse. Cum Demetrius a Strabone (XIII. pg. 609) γραμματικός appelletur, conicere licet Troicorum auctorem, quippe cuius opus Demetrii libro simile fuisse videatur, ipsum quoque grammaticum — Palaephatum Aegyptium — fuisse. Huc accedit, quod in Troicorum fragmentis doctrinae grammaticae vestiga reperiuntur (cfr. frg. 4 et 5).

Itaque si eidem Palaephato et libellus de incredibilibus et Troica tribuenda sunt, quae sententia maximam verisimilitudinis speciem habet, Palaephatus is, qui utrumque opus conscripsit, Aegyptius grammaticus circa medium secundum a. Chr. saeculum vixisse debet.

Sub finem opusculi mei comprehendam, quaecunque de Palaephato Aegyptio, quem et libelli περὶ ἀπίστων et Troicorum auctorem fuisse probabiliter me exposuisse spero, et ex Suida et aliunde comperimus. Eum natum esse in Aegypto et studiis grammaticis (fortasse Alexandriae) incubuisse e Suida discimus; qua aetate floruerit, ex operis servati genere dicendi et Demetrii Scepsii de Palaephati Troicis testimonio enucleavimus;

---

1) Ad Verg. Aen. VII. 658 scholiastae error agnoscendus esse videtur.

